

DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA
DE
PERSEVERANTIA
CREDENTIVM
VSQVE AD FINEM.

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMO


IOANNE GEORGIO KNAPP

THEOL. D. ET PROF. ORDIN. CELEBERRIMO ORD. THEOL.
H. T. DECANO SPECTATISSIMO


PRAECEPTORE AC FAVTORE
OMNI PIETATE AETERNM COLENDO
IN REGIA FRIDERICIANA
D. FEBR. CIOIOCCCLIII.
H. L. Q. C.

d.

PUBLICE DEFENDET
FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII
LOERRACO-BADENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





§. I.

P

Ostquam in prima disputatione de perseuerantia credentium vsque ad finem cum de illius necessitate tum etiam facultate actum est, restat iam, ut de eius adiumentis, ac certa persuasione expomamus. Constitutum nobis erat utramque rem altera hac disputatione completi, ac proinde tractationem gravissimi argumenti illa absoluere datamque fidem liberare: sed quoniam variis de causis breuitati seruierendum erat, simulque alias commilitonum pariter publicum specimen edere cupiens, vtro se ad explicationem defensionemque partis quarrae, obtulerat, nos in praesenti tertiam tantum tractabimus, in explicatione adiumentorum positam. Quod itaque ad adiumenta attinet, quorum fideli ac perpetuo usu perseverare potest vsque ad finem, qui Christo vere fidem habuit atque addixit, vel plura, vel pauciora numerari possunt, prout videlicet vel uno aliquo adiumento latius patente, plures res comprehendi atque una explicari possunt; vel huiusmodi argumentum latius patens, in plures partes eo consilio dividii potest, ut singulae separatim numerentur atque explicentur. Nos quidem ita in hac re versari stude-

Disputatio Theologica secunda,

bimus, ut adiumenta potiora exponamus, atque pro instituti
ratione breuiter explicemus, quibus reliqua, quae alio ordi-
ne ac numero electo separatim tractari potuissent, vna con-
tinentur. Nec enim in hac docendi ratione, ut nobis qui-
dem videatur, aliquid constitui debet, quod certam quasi for-
mam habeat, sed libertas in eo cuique relinqua est, quam
viam sequi velit; si modo nihil plane praetermittat, quod
necessario ad rem pertinet.

§. II. (I) Qui itaque perseverare volet in fide, crebro
ac cum debita animi attentione vitam, statumque praeteri-
tum recordando quasi remetiatur, ac proinde nunquam ob-
liuiscatur, quis & qualis olim ante coniunctionem cum Chri-
sto fuerit, & quid ipsi per Christum contigerit, quippe cu-
ius indulgentiae, quicquid est, & habet, vnice acceptum re-
ferre debet. Quo vero appareat, cur diligentem huius adiumenti
vsum adeo necessarium iudicemus, duo facere consti-
tutum est. Primo illud creditibus grauiter ac crebro
iniunctum esse docebimus, deinde multiplicem rei utilita-
tem ac vim, quam ad perseverantiam in fide habet, ostendemus.

§. III. Quod itaque ad primum attinet, nihil facilius
est ad probandum, quam rem, de qua agimus, a legatis do-
mini sedulo vrgeri, id quod facile cuius constabit, si modo
id secum cogiter, illos & ipsos fidelibus diligenter memoriam
status pristini, & extra Christum miserrimi refricare, &
simul inculcare, vt ipsi fideles idem agant. Quod pluribus
facile probari posset, vnico exemplo probabitus, quod in
re nec obscura nec difficult in praeseenti sufficere potest. Pe-
tere vero illud placer ex Epistola ad Ephesios, in qua Pau-
lus vtrunque agit. Primo enim ipse Ephesiis miseriam sta-
tus pristini, a quo per Christum liberati fuerant, in memoriam
redi-

redigit, hunc in modum scribens Cap. II. I. &c. *& vos mortuos existentes in delictis & peccatis, in quibus olim ambulauistis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris, spiritus nunc operantis in filiis infidelitatis; in quibus & nos omnes conuersati sumus, in cupiditatibus carnis nostræ, facientes voluntates carnis, & cogitationum, & fuimus filii naturæ iræ, sicut & reliqui.* DEVS vero diues existens in misericordia, propter magnum amorem suum, quo nos amauit, existentes nos mortuos delictis una vita donauit cum Christo, (gratia enim estis servati) & una excitauit, & una collocauit in coelestibus in Christo Iesu. Idem repetit Cap. V. 8. eratis olim tenebrae, inquiens, nunc vero lumen in domino estis; sicuti filii lucis ambulate. Quod vero Apostolus hoc modo ipse facit, idem quoque ab Ephesiis fieri vult; nam ideo commonefacere solemus alios, ut ipsi in memoriam eorum, quae monentur, redeant; sic enim scribit Cap. II. II. &c. Ideo recordamini, vos, qui eratis olim ethnici in carne, dicti praeputium ab ea, quae dicitur, circumcisione, in carne manuacta. Vos, inquam, fuisse in tempore illo sine Christo, ab alienatos a ciuitate Iſraelis, & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes & atheos in mundo. Quod vero Apostolus alias ratiopere inculcat, ipse quoque secum frequenter reputasse, atque egisse cernitur. Nullam enim temere occasionem praetermississe nouimus, statum suum miserissimum recordandi, in quo olim constitutus in Christum faveuerat unicum salutis auctorem & conseruatorem. Ut enim taceamus, quae in vitae ante actae enarratione occurrunt in Actis Apostolicis Cap. XXI. & XXVI. considerare in primis iuuabit, quae in priori ad Timotheum epistola leguntur Cap. I. 12 &c. *vbi gratiam habeo, inquit, illi, qui corroborauit me, Christo Iesu Domino nostro, quod fidum me iudicauit, dum constituit in*

ministerio, qui eram prius blasphemus, & persecutor, & contemtor, sed misericordiam nactus sum, quod ignorans feci in infidelitate, conf. i Cor. XV. 8 &c. Ex quibus Apostoli dictis id simul adparet, cogitandam quidem diligenter, ac memoria repetendam communem miseriam humanam, in qua omnes iam mortales promiscue nascuntur, & propter quam iure apud Deum in offensa sunt, sed singulariter quoque quemuis ad se ipsum attendere, & crebro recordari debere, quibus criminibus ipse se maxime obstrinxerit, quorumque veniam per Christum impetraverit.

S. III. Cum vero voluntas Dei circa hanc rem satis plana sit, plura cumulare supersedemus, ac potius ad multiplicem utilitatem explicandam accedimus, quam recordatio status pristini, ad iuandam perseverantiam adfert. Primo itaque renouata miseriae pristinae memoria eo inservit credentibus, ut tanto submissiori animo sint & maneat, semperque ante oculos, altissimeque in animo infixum habeant, se nulla sua dignitate, sed sola Dei indulgentia summa miseria liberatos, beatosque factos esse per solam fidem, quae nihil habet, quod adferat ad ineundam Dei gratiam, sed accipit modo gratuitam Dei benevolentiam propter Christum ac sacrificium istius piaculare vnicet in nos collatam, simili que etiam ratione retinet. Quo frequentior enim in animo versatur atque agitur, cogitatio te tam insigni beneficio non solum indignum, verum etiam alia plane omnia meritum esse, eo magis praeceditur omnis animum efferendi sibi que ipsi placendi caussa, contra vero modeste & sentiendi, & agendi rationes adferuntur. Animos vero ita se magis, magisque submittentes Deus bonis suis auget, quibus auctis in dies quoque perseverantia facilior redditur. Deinde recordatio miseriae pristinae diligens & seria illud quoque prae-

star

stat credentibus , vt magnitudinem & pericula illius remetiantur , ac melius perspiciant . In ipso enim salutis periculo propter animi aut stuporem ac caecitatem , aut fugam accuratioris meditationis voluntariam , haud raro magnitudo illius minus cernitur , sed tum demum recte adpareret , si periculum depulsum , animusque tranquillior redditus , ac proinde aptior & propensior factus est ad illud accuratius considerandum . Quo magis vero magnitudo malorum , a quibus per Christum liberati sumus , animum pellit & adfecit , eo sollicitius etiam illa cauentur , quae rursus in tantum discrimen adducere possunt . Qod quo diligentius fit , eo facilius & libentius homo fidus in officio manet , nec se rursus nouis peccatorum illecebris irretiri patitur . Cogitatio denique diligens infelicitatis pristinae ex dissensione cum Deo & Christo ortae gratam quoque erga Deum & Christum voluntatem auget , multumque confert , vt , cum fiducia & amor erga tam benignos tributae salutis autores , tum vero etiam iusta sollicitudo augeatur , nihil aut per scelus , aut per negligentiam in se admittendi , quo gratia mutua exulceretur rursus , & ille offendatur , cuius offendio tanto indignior & detestabilior est , quanto maior ipse non solum , verum etiam benignior erga immerentes est *).

§. V.

* Egregii plane sunt multumque ad primum hoc adiumentum illustrandum valent libri Confessionum AVGVSTINI , in quibus statum suum pristinum insigni cum dolore suique submissione confitetur , seque illo ipso ad retinendam Dei gratiam , quam inierat , excitare laborat . Non fugiunt nos quidem sinistra vnonnullorum recentiorum , qui sibi valde in eare saepre visi sunt , de his libris AVGVSTINI iudicia , inter quos eminet personatus ille PHEREPONVS sive IO. CLERICVS , qui satis impotenter & audacter cauillatur , AVGVSTINVM mille minu-

tiis

§. V. (II) Qui fidem constanter praestare vult, cognitione sui ipsius statusque praesentis in dies augeri studeat. Sicut enim nemo salutem in Christo prius consequi, illamque digne, ac pro eo ac decet, aestimare potest, nisi qui a vera cognitione status sui, & externi coram Dei severissimo iudicio, & interni totius animi incepit, ita nemo quoque eam tuebitur, nisi, qui sibi semper cognitus manet, atque in dies

tuis occupare Deum, quibusne hominem quidem audeat morari vir grauis, cuius tempori vellet tantundem parcere; non minorem esse in his Confessionibus ostentationem & vanam gloriam, quam sinceram peccatorum commissorum poenitentiam &c. PHÆREPONVM scilicet aliosque illius similes si audiamus, non multo aliter cum Deo agendum erit, quam HORATIUS CUM AVGVSTO agit (Lib. II. ep. II.) scribens:

*Quum tot sustineas & tanta negotia solus,
Res italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Caesar.*

sequuntur tamen hunc auctorem alii. Sed recte & grauitate iudicat CHRIST. EBENH. WEISMANNVS (histor. eccl. sec. V. p. 462.) Injusta haec est, inquiens, & profana censura, quos cuncte auctores habebat; unde probabitur Augustinum flosculos rhetoricos in his Confessionibus & aspirationibus conquisiuisse? quin potius genus istud sermonis ex genere vitae & exercitatione priore paratum in promptu babuit. Res ipsa autem, (ut vel oscitanter legenti potest esse manifestum) fluxit ex corde Viri Sancti tenerime compuncto per caritatis & poenitentiae iacula, pro vicissitudine piorum affectuum quibus exarist in praesentia Dei, recolens coram oculis illius totam vitiae suae praeteritae & praesentis historiam. Hoccine est garrire & argutari cum DEO? ubi quaeso locorum sumus? hic ne a frigidissimis hominibus circa feruidissimas aspirations & calores sanctos quaerendum, cui bono?

dies notior fieri studet. Id quod eo magis necessarium est, quod nostra, quae tamen ut proxima nobis notissima esse debent vitia, nos facile vel magis fugiunt, quam aliena, vel magis fallunt, imo facilius delectant. Cum vero it homine vere credente primo diuina gratiae bona insint, insint vero etiam adhuc viitorum reliquiae, & quasi fibrae magis magisque persequendae atque elidendae, facile est ad intelligendum, in sui ipsius cognitione & consideratione ad vitramque rem attendendum esse. Primo itaque opera gratiae inse incoata magis magisque pernoscat necesse est vere fidelis, accuratoriique status sui cognitione in bono ad id vtratur, ad quod vti par est. Inquirendum ergo diligenter, quis vigor, & quae vis fidei, quis ardor, & quae demonstratio amoris erga Deum & proximum, quae ratio & vis spei in anima sit; quis & qualis virtutum christianarum vsus, earumque omnium consensus & conspiratio in vnum. Videat porro, quam diligenter & ardenter precibus, verbo, reliquisque praesidiis & adiumentis gratiae vtratur. Haec omnia sedulo, crebro ac religiose exploret, caueatque quam maxime, ne maiora iam & ampliora putet, quam reuera sunt; modeste potius de se sentiat, & sibi suisque in hac re iudiciis magis diffidat, quam confidat; quo eo sollicitius se ipse experietur, caueatque, ne quid falsa specie fallat. Natura enim fallaciter imitari studet gratiam, & vt sibi placere, seque iactare queat, bona, vel quae non adsunt fingit, vel quae adsunt, opinionis errore auget & puriora iudicat, quam sunt. Melius ergo & tutius est in bonis suis iudicandis potius intra modum consistere, quam illum excedere. Ad huiusmodi aestimationem sui spiritus Dei credentes crebro exhortatur tanquam ad rem perseu rare volentibus valde necessariam. Sic v. g. Paulus ad Romanos scribit Cap. XII. 3. edico per gratiam mibi datam omni

B

existen-

existenti inter vos, ne supra quis existimet, praeter id, quod oportet existimare, sed, ut existimet ad modestiam seruandam, prouti Deus cuilibet distribuit modum fidei. Conf. 2 Corinth. XIII, 5; Phil. II, 3. Ad hanc vero rem, vt hinc fieri queat, diuino lucamine, ac perpetuo concursu gratiae opus ac proinde necesse est, vt homo non suo iudicio se ac bona sua metiat, sed se ad formulam verbi DEI diligenter reuocet, omniaque & interna, & externa ad illius normam vnicet atque identidem dirigat. Vnica enim haec regula recta est & immutabilis, qua qui se, cunctaque studia sua & consilia metiri consuevit, contra deceptionis, falsarumque de statu suo opinionum pericula muniri potest, si cetera quoque accedant, quae grauitas tanti negotii efflagitat. Non sufficit, scilicet, regulam rectam ac iustam habere, verum etiam illa recte uti oportet. Nihil enim tam bonum est, quo homines non abuti queant, imo optimis quibusque abutuntur fere pessime. Ne ergo illud etiam in hac re fiat, minime nec in hoc negotio, nec alibi sciungenda sunt, quae Deus arctissime coniunxit. Quemadmodum igitur diligens reuocatio sui ad verbum Dei tanquam ad normam necessaria est, sic quoque, ut id recte succedat, non minus necessarium est, & voluntatem, & facultatem illius rei sibi serio a Deo experere: neutrum enim homo per se, & a se habet, Dei vtrumque munus est; & si quis aliquid ex utroque consecutus est, vtrumque tamen in dies augeri, accessionesque illas a DEO profici sci oportet: quidquid enim in spiritualibus non crevit, illud decrescit. Adhibita igitur opera hominis, spirituque Dei in auxilium vocato, magis magisque vera bonorum gratiae, quae iam insunt, ratio cognoscitur. Qua cognitione deinde recte quoque uti decer, quo perseverantiam in fide adiuuet.

§. VI.

§. VI. Quicquid ergo vere bonum, & a gratia profectum deprehenditur, illo ne aburatur salutis retinendae studiosus, ad sibi placendum & blandiendum, quo peruersus sui amor facile impellit; quin potius reputet secum, illud non a se, ac proinde non suum, sed a Deo, ac proinde Dei esse, qui cuique id quasi acclamat elationi occursum: *Quid habes, quod non accepisti, si vero accepisti, ecquid gloriaris, quasi non accepisses.* Usus ergo verus bonorum, quae vere adfunt, in eo ponitur, vt bonitas & indulgentia Dei, quae tam magnifica erga indignos est, laudibus efferatur, ac proinde omnia eo conferantur, vt ille benignitatis suae fructus meritisimo ferat. Quod si sit, ipsi homini id fructuosum est, quo minus enim quisque sibi ipse tribuit, eo plus tribuitur ei a Deo. Animaduerter vero etiam facile, quilibet in hac sui exploratione diligenter versans quam imperfecta adhuc sint bona sua, & quam multis adhuc vitiis laborent. In id ergo omnino etiam oportet intueri, non quidem eo modo, vt animum abiiciat, ac de perseverandi facultate desperer, sed ne efferat, id pro certo habens, in se ipso, ac negligentia sua causam maxime positam esse, quo minus longius sit prouectus. Quod qui secum ita, vt par est, cogitat, illi, profecto nunquam deprimenti se, ac secum ipso iuste expostulandi causa deerit. Porro cognitione illorum, quae adhuc defunt, ad id utratur, vt animum eo magis intendat ad ea consequenda quae adhuc defunt, & perficienda, quae imperfecta sunt; obliuiscens certo modo eorum, quae iam adfunt, quo studium consequendi ea, quae adhuc defunt, eo magis inflammetur. Id igitur quod auari, caducarumque rerum insana cupiditate incensi homines in malis male faciunt, vt scilicet non tam id, quod iam habent, respiciant, sed id, quod adhuc deest, & quod nihilominus concupiscunt: boni ad

bona transferre debent; quod enim illic in vitio est, hic in laude ponitur. Ita sane Paulum praeceuntem habemus in huiusmodi sancta obliuione sui suorumque, & feruida contentione, consequendi ea, quae sibi adhuc deesse sentiebat. Ita enim de perseverantia, illiusque studio & adiumentis disputans, in Epistola ad Philippenses Cap. III, 13. scribit: *fratres, ego me ipsum non arbitror comprehendisse. Num vero agno ea, quae a tergo sunt, oblitus, ad illa vero, quae ante sunt, super extensus, secundum scopum consector brabeum vocationis Dei, quae supra est in Christo Iesu.* Conf. 2 Cor. V, 2. 4. &c.

§. VII. Cum vero, ut supra monuimus, vitiorum quoque & carnis reliquiae in creditibus adhuc supersint, etiam hac ex parte eos cognitione sui in dies augeri oportet. Qui enim hostes intestinos in visceribus quasi ac medullis haerentes, quorum insidiae periculosisimae sunt, non satis nouit, non satis quoque obseruabit & cauebit, ac proinde etiam facile oppriquetur. Rursus vero duo in hoc negotio agemus. Primo ostendemus paucis, quomodo res haec aggredienda sit, deinde vero docebimus, quomodo hac inquisitione & accuratori cognitione vitiorum adhuc inhaerentium ac tentantium viri debeat fideles, quo non modo non obsit perseverantiae studio ac contentioni verum etiam illam iuuer. Quod igitur ad primum attinet quotidiana ac diligens exploratio sui etiam hac in re magnopere necessaria est, ne quid nos ut nostrum fallat. Qui enim se ipsum non assidue ac studiose scrutatur, facile sibi rursus ignotior fit cum maximo sui damno. In qua tamen sui experientia idem, quod supra iam diximus, obseruandum est, ut scilicet rectum Dei iudicium verbumque illius in toto hoc negotio adhibeat, qui sibi illud ex sententia succedere volet. Cor enim hominis natura tortuosum quid est, magnasque latebras, altosque

que recessus habet, in quos non nisi verbum & lumen Dei penetrare potest, cui, qui se subtrahit, se ipse fugit. In primis vero ad illa vitia in cognitione sui attendat, necesse est, accessionum ac proinde etiam perseverantiae studiosus, ad quae quisque vel natura proclivior est, vel quibus in statu pristino praecipue seruivit, quaeque proinde longa consuetudine valde inueterauerunt ac penitus in animo insederunt. Haec enim propter naturae & consuetudinis vim facilime attentionem nostram effugiant, & tamen facilissime tentant & nocent. Quo suspectior sibi itaque quisque in eo est, in quo facilissime decipitur a se ipso, eo sollicitior erit; quo sollicitior vero quisque est, eo facilius ac citius infidias sibi structas & animaduertet, & evitabit. Studeat praeterea etiam naturam peccari magis magisque cognoscere cum respectu indolis ac turpitudinis internae detrimentique quod animo adfert, tum etiam respectu culpae coram Deo & poena, quam omne peccatum per se meretur *). Illud enim ideo maxime necessarium est, ut vitia etiam subtiliora, bonaque specie se commendantia eo magis innotescant, eoque caueatur, ne quid, quod vere peccatum est, non amplius pro peccato habeatur, qui error sane longe perniciosissimus est. Quod ut fiat, in Dei lumine magis magisque discendum, semperque ante oculos ponendum est, legem Dei Apostolo docente Rom.

B 3 VII,

*) Suspecti itaque imo plane periculosa sunt dicta C. Tridentini Sess. VI. C. XI. de iustific. coll. Can. XXIII. ira statuentis: licet in hac mortali vita quantumvis sancti & iusti in LEVIA SALTEM & quotidiana, quae etiam VENIALIA dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea definiti esse iusti. Licet enim inter peccata, quod ad grauitatem illorum attinet, omnino multum interficit, nulla tamen peccata simpli- citer leui & venialia sine ingenti levitatis crimine aut putari aut dici debent.

VII. 12. esse spiritualem, perfectissimamque obedientiam ac conformatiōnem totius hominis ad ipsius praecriptionem postulare, ita, ut vel minima aberratio sit *divina*, ac proinde etiam *virtuosa*. In iis etiam, quae per se recta & bona facit, videat & exploret diligenter, quam sincera sit in illorum studio & actione abnegatio sui, quam sinceri fines, quos sibi in omnibus consiliis & actionibus propositos habere debet Deo deuotus, ut scilicet gloriae Dei vnicē & libenter seruiat, omniaque ad illius amplificationem referat. In his omnibus aliisque eo pertinentibus severissimum quoque in se ipse exerceat iudicium, oportet, nihilque sibi indulget, qui sibi ipse bene cupit. Qui enim se ipse iudicat, a Domino non iudicabitur. *I Cor. XI, 31. Gal. VI, 4. coll. Luc. VI, 41. 42.* Nec minus etiam culpa & poena quodlibet peccatum per se consequens diligenter cogitari deberet, ut illius atrocitas, indignitas & periculum quam altissime in animo imprimatur, & pessima illa opinio, quae animos mortalium sancta cum pernicie occupat, magis magisque euellatur & extirpetur, quasi in nonnullis saltē impune peccare liceret. Maxima sane haec res momenti est. Quaecunque enim aut opinio, aut agendi ratio de vera doctrina, aut aestimatione peccati aliquid detrahit, detrahēt etiam aut de doctrina vera de Christo, aut de vero & genuino illius vsu. Qui ergo non proficit in genuina atque ad se, usumque suum translatā cognitione doctrinae de peccato & altissima naturae humanae depravatione ac vitiositate, proficere quoque recte non potest in genuina, via, & ad se suumque usum decenter relata cognitione Christi, salutisque per eum nobis partae.

§. VIII. Quo vero accurasier cognitione vitiorum adhuc inherentium ad iuuandam perseverantiam faciat, sequentia maxime obseruanda sunt. 1.) Igitur cognitione vitiorum statis

sitatis ad submissionem animi merito valere debet, & ad exercitationes poenitentiae, quam appellant, quotidianae. Omne enim peccatum, quod cognitum non doletur atque odio habetur, quod non deprimit coram Deo, exitiabile sit, & mortem adferat. 2.) Caveat, ne vnum peccatum, quia aliis comparatum leuis videtur, contemnat & vilipendat. Nullum enim per se leue est, & quodlibet, quod leue putatur, ideoque parum curatur, eo ipso grauissimum efficitur. Periculum potius cum eo coniunctum agnoscendum semperque propinquendum est. 3.) Vitet quisque, quantum per ipsum agat, ac per officia necessario praefenda licet, omnes occasiones, quibus ad peccandum sollicitari potest, ne sua culpa tentetur, & si tentatur, principiis statim obuiam eat; suprimuntur enim facile modo nascentia, quae vincuntur aegre iam invalescentia. 4.) Denique haec omnia ita agat, ut eo arctius se cum Christo coniungar, eique tenacius & quasi mordicus adhaereat, cogitans, se sine illo, illiusque vi & auxilio nihil plene posse. Quodsi enim ita peccata odimus & fugimus, atque etiam confitemur, ille fidelis est & iustus, ut peccata nobis remittat, purgerque nos ab omni iniuritate.

§. VIII. (II) Qui perseuerare voler, illud etiam praecepit & vnicet agat, ut augearur fides in Deum & Iesum Christum Dominum nostrum. Sicuri enim vnicet per fidem in Christum primum inseri atque hoc modo gratiam & salutem in illo vnicet fitam consequi oportet, ita quoque per fidem in illo vnicet manetur. Quo magis itaque augetur fides, eo arctius anima cum Christo coniungitur eumque habet, tener, possiderque. Hinc viri Dei cum fidelibus agentes id maxime urgent, ut fidei accessiones consequi studeant, quo feliciter metam attingere queant. Spectantur vero hic incrementa fidei quatenus haec maxime 1) in eo ponitur, ut anima per vim

vim & lumen spiritus sancti ex verbo Euangelii magis magisque agnoscat magnitudinem ac diuitias gratiae, & benevolentiae Dei in Christo, omniumque honorum spiritus ex hoc fonte fluentium, propter perfectissimam vnicem Christi redemtionem in nos collatae, in qua Paulo docente, Ephes. II, 7. Cap. III. 8. inexhaustae diuitiae insunt, ut ea, quae nos homunculi cognoscimus, parua semper sint respectu eorum, quae cognoscenda restant. Ex eo facile perspicitur, cur Apostoli iacentementum diuinæ huius cognitionis credentibus adeo enixe adprecentur, curque, ut illa augeri studeant, tam grauiter adhortentur; quod ut testimonij nonnullis confirmemus, rei non scilicet magnitudo ac necessitas, sed etiam instituti nostri ratio effigitat. Primo itaque in medium proferrimus verba Pauli Ephes. I, 15. &c. ita scribentis: propter hoc etiam ego, postquam audiui de fide vestra in Domino Iesu, ac de amore in omnes sanctos, non quiesco gratias agens pro vobis, mentionem vestri faciens in preciis meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriae det vobis spiritum sapientiae & revelationis in cognitione ipsius, illuminatos oculos mentis vestrae, ut cognitum babeatis vos, quae sit spes vocationis vestrae, & quae diuitiae gloriae hereditatis illius in sanctis, & quae sit exsuperans magnitudo potentiae illius in vos credentes secundum operationem roboris virtutis illius. Gemina sunt idemque sonantia, quae leguntur Cap. III. 14. &c. Vbi, propterea, inquit, fletio genua mea coram patre Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis familia nominatur, quae est in coelis & in terra, ut det vobis secundum diuitias gloriae suae, ut potentia robustiori per spiritum ipsius in internum hominem, ut babeatis Christum inhabitantem per fidem in cordibus vestris, in amore radicati & fundati, ut valeatis assequi, quae latitudo & longitudo, & altitudo & profunditas, & cognoscere superiorum cognitio-

gnitione amorem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, Conf. Col. I, 9. &c. Petrus vero eos, ad quos scribit in epistola posteriori, (c. III, 18.) ita exhortatur: *crescite in gratia & cognitione Domini & sacerdotis nostri Iesu Christi,* quae Apostoli vox cum superioribus ita cohaeret, ut ex cohaerentia sermonis satis adpareat, Apostolum incrementum cognitionis gratiae Christi eo maxime consilio tantope re commendare, ut contra perturbationis ac defectionis pericula munirentur.

§. X. 2) Incrementum fidei hic porro spectatur, quantum in eo consistit, ut anima fidelis firmius in dies statuat ac decernat per vim spiritus, gratiam illam Dei in Christo, omniaque, quae Christi sunt, sua ita esse quasi sibi soli parta, ac destinata tributaque. Per huiusmodi enim assensionem specialem ea, quae communiter omnibus parta omnino ac promissa sunt, ad singulos debent transferri. Nec enim sufficit assensus generalis ea vera esse, quae Deus in Christo promisit ac dedit, atque etiam omnibus in uniuersum esse destinata, sed opus est maxime assensione speciali, qua animae, per vim spiritus promissa communia ad singulos transferenti, exploratum sit, se quoque ad singularem illam Dei in Christo indulgentiam perinere. Ex uniuersali equidem promissione gratiae ad omnes omnino mortales tam crebro in verbo Dei dilatata id quidem per se certo consequitur, ac proinde etiam rectissime conficitur a quolibet, se quoque ex Dei consilio ac voluntate promissi compotem fieri & posse & debere: imo uniuersali hoc promisso toties frequentato, fides primo excitari & aliqua spes ineundae per Christum gratiae concipi debet; at vero illud nondum sufficit, quod enim per se ex promisso gratiae recte intelligitur ac concluditur, ita tamen animo debet persuaderi, ut illud quoque ratione

C

sui

sui plane exploratum habeat, atque in eo acquiescere possit; id, quod non virium humanarum, sed spiritus sancti opus est, qui i supernaturali sua virtute, per verbum tamen Euangelii tanquam instrumentum, testimonium dare debet spiritui nostro, id est iudicia & conclusiones mentis nostrae ex verbo legitime confectas ita confirmare, ut illas plena & efficacis a- ffectione excipere queamus, quo euangelium magis magisque apud nos non solum sit in verbo, sed & in virtute, & in spiritu sancto, & in plerophoria multa, 1 Thess. I, 5. quae res ad ob- gnationem fidelium per spiritum S., quam sacrae litterae ita appellant, pertinet. Sicuti igitur omnia spiritus S. opera in- terna gradibus certis temporisque successu perficiuntur, ita idem hac in re quoque accedit; id quod in causa est, ut per- seuerare cupientes, etiam hac ex parte accessiones fidei nouas in dies quaerere debeant; imprimis cum propter varias calamitates & internas & externas, quibus fides sapientissimo Dei consilio exploratur, probatur & exercetur, dubitationes interdum, vel saltem sollicitationes ad eam orientur, quibus- cum luctandum, quaeque vincendae sunt. Necessestam vero atque utilitatem rei ex sacris litteris ostendere facile est. Paulus non contentus agnouisse, Christum omnes amasse, sequre pro omnibus deuouisse, exploratum quoque habere certo studuit, Christum se quoque speciatim amasse, suoque etiam loco se deuouisse. Gal. II, 20. Et in epistola ad Romanos Cap. VIII, 35. &c. pariter scribit, se plane exploratum habere, nihil esse, quod ipsum, aut alios vere credentes auellere possit ab amo- re Dei in Christo. conf. 2 Tim. I, 12.

§. XI. 3) Incrementum fidei amplius spectatur, qua- tenus eo etiam continetur, ut fiducia in gratia Dei per Chri- stum posita magis magisque confirmetur, quae cum proprie- voluntatis diuinitus emendatae & inclinatae sit, in eo maxi- me

me ponitur, ut voluntas propter fidem, veritatem, ac gratiam Dei in se collatam, spiritusque S. opera certo persuasam, in bono hoc tanquam suo, sibique & apprime conueniente & plane sufficiente placide & eo paecto acquiescat, ut extra id nihil ad hunc finem amplius desideret, eoque magis magisque frui & delectari studeat. Fides igitur, quatenus huiusmodi fiduciam in se continet, quae id quoque adfert animae, ut in posterum quoque bene sperare, & confidere queat, augeri ac confirmari debet. conf. Rom. VIII, 31. &c. Eph. III, 17. Phil. I, 6. Ebr. X, 35.

§. XII. 4) Denique fidei incrementum hic porro spectatur & necessarium est, quatenus sibi coniunctam habet debitam aestimationem Christi bonorumque ab illo partorum super omnia, proficiscentem ex viua illius cognitione factaque fide, omnia illius nostra esse, pro nobis apud Deum valere, nobisque ut destinata ita etiam maxime necessaria & utilia esse. Quo pluris enim Christus & gratia illius aestimatur, eo magis etiam studium incitatur & contenditur, per gendi itinere instituto, nec prius quiescendi, quam ad illum peruerenerimus. Paulus hic rursus nobis exemplo est, ita de pretio, in quo Christus apud eum erat, summo, illiusque vi ad progressum in bono scribens Phil. III, 7. *verum quae mibi lucri loco fuerant, haec propter Christum duxi danni loco. Verum sane & reproto omnia damnum esse propter eminens cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omnium iacturam feci, & reproto purgamenta esse, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in ipso, non meam habens iustitiam, quae ex lege fit, sed eam quae per fidem Christi contingit, eam, quae ex Deo iustitia est super fide, ad cognoscendum ipsum & virtutem exortus illius, & communionem per pessimum illius, conformatus morti ipsius; si quomodo occurram ad resurrectionem illius ex mortuis.*

mortuis. Operae vero pretium est, accuratius adhuc ostendere, quomodo quibusque de causis expositae modo fidei accessiones ad iuuandam perseverantiam vsque ad finem conducant. 1) Igitur his fidei incrementis in homine firmius in dies apprehenditur ac tenetur immutabilis fides DEI erga hominem, quae simul summam illius potentiam omnia efficiere & superare, ac praeterea etiam perfectissimam sapientiam omnia optime moderari & ad salutem conuertere valentem, sibi coniunctam habet. Hac fidei Dei sua fide firmiter apprehensa eaque innixus pater fidelium Abrahamus perseverauit in fide, perruptis superatisque omnibus impedimentis, ac promissa tandem consecutus est. Inprimis vero id etiam consequitur anima fidem Dei in dies firmius hoc modo apprehendens, vt ne dilatione promissorum auxiliique diuini offendatur, vel saltet lassetur, sed placide experiet certumque habeat, Deum expectationem, quam sapienti consilio interdum differt, minime tamen frustrari, sed eo largius deinde remunerari. Hinc sit, vt fidem habere Deo haud infrequenter in sc. litteris appelleretur *praefolari* & *expelare* Deum & promissa illius, quo ipso significatur, vim vereae fidei, constantiam seruare ac probare cupientis, in eo maxime se exserere debere in Christianismi cursu ac progressum vt ad fidem Dei tanquam ad aram & ancoram confugientes sancti, exspectationis etiam diurnae poenitentiam minime agant. 2) Ex fidei incrementis supra expositis augeatur etiam amor sincerus ac verus erga Christum auctorem perfectissimae salutis, optimum, maximum. Amor enim Christi infinitus erga nos vna cum inexhaustis diuiriis illius & fructibus altius perspectus pluribusque experimentis cognitus, nostrum quoque amorem magis magisque prouocare, inflammare & confirmare valer. Amanti vero secundum

dum illud pernulgatum nihil difficile. Quae vero difficultia vel sunt, vel videntur in christianismi progressu amor Christi grata & facilia reddit, ex quo Ioanne docente fit, ut praecpta illius, animae amanti non amplius sint grauia & onerosa. 3) Per illa fidei incrementa augetur etiam virtus spiritualis animae, omnia mala & aduersa, quae perseuerantiae obsunt, depellendi, & contra recta & bona, quae adiuuant, consequendi & efficiendi. Quo altius enim anima per fidem supra descriptam in Christum & bona illius penetrat, eo capacior redditur, ut Christus via sua in illam penetrare, eamque largius instruere possit. Recte enim iis, quae habet, venti plura tribuuntur, omnesque fidei partes ac virtutes necessariae non secus ac corporis & animae partes sibi inuicem adiumento sunt. Valet ergo, ut modo diximus, tale fidei incrementum primo ad depellenda mala & aduersa, eorumque pericula. Per fidem enim resistitur optime Diabolo, ut fracto impetu recedere cogatur. Hinc Paulus ad Ephesios scribit Cap. VI, 16. *praecipue adsumite clypeum fidei, quo potestis omnia mali tela carentia extinguiere.* Cui concinit Petrus (1Ep. V, 8. 9) *aduersarius vester, inquiens, circumit ut leo rugiens quadrrens, quos devoret, huic vero resistite firmiter in fide.* Per fidem porro vincitur mundus, & quae in mundo sunt, omnesque rerum creatarum illecebrae, quibus alioquin animus facile rursus inescari, ac denuo in perniciem praecipitari potest. Per fidem vincitur peccatum, in summa omnia per fidem vincuntur, ut Paulus in epistola ad Ebraelos Cap. XI, pluribus docet, insignique exemplorum delectu confirmat. Omnis enim adhaec vis vnic in Christo, tanquam in fonte est, fides vero ex parte hominis illud vnic est, per quod haec ex Christo ducuntur & in animam deuinuantur. Deinde valer quoque incrementum fidei ad au-

C 3 gendam

gendarum vim volendi illa & afficiendi, quae bona ac recta sunt, ac proinde fieri debent, quippe quae rursus vnicet ex Christo petenda est. Sicuti enim palmes fructum ferre nequit, nisi maneat in vite & ex ea succum trahat, ita anima fructus bonos ferre nequit, nisi quatenus in Christo est & manet, & ex illo succum spiritus trahit. Hinc Petrus scribit
 2 Ep. I, 2. 3. *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Iesu Domini nostri, siquidem virtute illius diuina omnia nobis donante, quae ad vitam & pietatem pertinent per cognitionem illius, qui vocavit nos per gloriam & virtutem.* Conf. Col. I, 6. 9. &c. Eph. I, 17. &c. 4) Denique per illa fidei incrementa augetur etiam & confirmatur laeta spes futurae gloriae, & magnitudinis illius, quae non destituit. Quo magis enim anima magnitudinem gratiae & fidem Dei in Christo in hac vita cognoscit & experitur, eo magis etiam efflorescit laeta spes, Deum in iis, quae beatae aeternitati reseruauit, fidem suam pariter liberaturum, simulque etiam persuadetur, omnia longe maiora & ampliora futura, quam nos in praesenti aut intelligentia comprehendere, aut votis expertere possumus. Haec vero spes quo viuidior & certior fit, eo magis prohibet, ne intentio lassetur, sed potius excitetur.

§. XIII. (III.) Qui perseverare in statu fidei & gratiae volet, sanctificationi quoque diligentius in dies studeat necesse est, cuius praetermissio certam perniciem salutisque iacturam, remissa vero contentio maxima animae pericula adfert. 1) Cogitare ergo omnino semper oportet, sanctificationis studium omnibus creditibus grauissime esse iniunctum, & quasi capite sanctum, ne quis illud aut abiiciat, aut negligat. Ita enim, vt ex innumeris ad illam rem concitationibus vnam proferamus, grauissime Paulus scribit Ebr. XII, 14. *Consecrati in pacem & sanctificationem, sine qua nemo videtur*

debit Dominum. In qua oratione quantum insit verborum sententiuarumque pondus, nemo non videt. Apostolus enim non contentus dicere, operam date sanctificationi sed persequimini, inquit, sanctificationem, ut nos doceat, non ingressu solo id est aliqua in hoc curriculo, sed cursu plane id est summa omnium virium contentione in eo opus esse. Quod ne oculis quasi praeteruehamur & parum attendamus, alibi quoque grauiter inculcat ad Timotheum scribens: *O homo Dei fuge cupiditates iuueniles, cursu vero quasi consecutare iustitiam, fidem, amorem, pacem cum omnibus, qui Dominum amant puro corde.* 2 Tim. II, 22. coll. 1. Ep. VI, II. Eph. VI, II. &c. In fugiendo itaque malo, consequendoque bono aequo cursu, celeritate, omnia inque virium contentione opus esse docet. Et ne nos sine exemplo ad id impelleret, alibi suum proponit, quoniam homines saepius exemplis melius quam praeceptis docentur, quippe quae hoc in se boni habent, quod ostendunt, quae docentur, fieri posse. Conf. A&t. XX, 18. &c. 1 Cor. IX, 26. &c. 2 Tim. IV, 7. Quo vero hanc adhortationem suam quasi trabali clavo animis altissime infigat, negat quenquam sine serio sanctificationis studio Dominum aliquando visurum in beata aeternitate. Similiter Ioannes de beatissimo adspectu Domini in futuro seculo locutus statim subiungit, *qui hanc spem habet, (eo scilicet perveniendi) purgat se* (i.e. in eo semper occupatus est & esse debet, vt se purget magis magisque & ad intimam illam cum Domino familiaritatem & consuetudinem digne se comparet) *quemadmodum ille purus est.* 2) Semper ante oculos habere oportet credentes, sine redēctionis Christi pretiosissimo illius sanguinis factae id maxime contineri, ut ad Dei similitudinem resingamur, & rursus sancti efficiamur. Ideo enim Christus nos redemit, sibique ac patri prouersus totosque adseruit ac vindicauit,

cauit, ut noſtri nec mancipio, nec vſu, sed torti illius simus, qui nos redemit, illi viuamus, illi moriamur, ille animo & corpore, quae ipsius sunt, celebremus. Conf. Rom. XIV, 4. &c. 1 Cor. VI, 15. &c. 2 Cor. V, 15. 1 Pet. I, 15. 23. Eam ob causam ergo deuouit se ipſe pro nobis, Dominusque omnium rerum ſe ipſe quaſi emancipauit. Phil. II, 6. &c. ut prelio nos redimeret ab omni iniquitate, & purgaret ſibi ipſe populum peculii aemulatione incenſum bonorum operum. Quicquid vero fine redēptionis Christi continentur, fine quoque iustificatiōnis comprehenduntur, qua ſatisfactiō Christi per fidem ad hominem tranſfertur, ut ipſius fiat, ac pro eo in iudicio diuino ad absolutionem ab omni culpa & poena valeat, ſicuti Apoſtolum Cap. VI. & VIII. Ep. ad Romanos grauiſſime docet. Tantum ergo abeft, ut ſalutaris de reconciliatione Christi & iuſtificatione per fidem in illum, ex S. litteris haufta doctrina, recte intellecta atque ex praefcripto Dei ad vſum translata, ſanctitatis ſtudio per ſe impedimento fit tarditatēque bene faciendi afferat, ut potius nihil magis illud adiuuet, & incendere poffit ac debeat. Ex quo apparet, quam periculoſe atque indigne & errent & agant, qui eam per calumniā, in iniuidiam & ſuſpicionem contrariam adducunt; perperam plane illam ac peruerſe, ex depravatione & abuſu hominū, non ex ſua natura veroque vſu iudicantes. Ex quo confequitur, perſeuereare laborantem contentionem ſtudiumque ſanctificationis quam maxime incitamentis Euangelicis accendere debere, ut in dies gratius ac facilius, ac proinde magis magisque euangelicum fiat. Haec enim impellentia Euangelica, praeter quam quod vim diuinam ſecum coniunctam habent efficiendi quae fieri debent, id quoque praefiant, ut ſanctificatio magis magisque non ſolum officii, ſed etiam beneficii loco habeatur. Ad illa vero officia praefenda

stanta voluntas propensior fit, quae simul beneficia nobis esse maximamque utilitatem adferre persuasum habemus. Hinc verbum Dei ex purissimo hoc fonte frequentissime gravissimas adhortationes dicit, sufficiat Pauli unicum locum laudare, ita vero ille (2 Cor. VII, 1. &c.) has igitur, inquit, *promissiones habentes, purgamus nos ipsos ab omni iniquamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Nec tamen ideo reliqua ex lege petita incitamenta praetermitti debent; homini quippe in carne adhuc versanti pariter necessaria: cui quidem ex Euangelio maxime fiducia magis magisque concipienda, interdum tamen etiam timore ex lege iniiciendo opus est, quo in subitis imprimis periculis ac sollicitationibus muniatur, caueaturque, ne fiducia sincera sua indole amissa, in audaciam, ac laetitia animi in levitatem, securitatem ac negligentiam degeneret. Omnibus enim virtutibus veris, vicia quaedam sunt finitima speciem illarum aemulanta sed longissime ab illis absunt, ac proinde & facile & periculose fallunt. Rem vero ita se prouti diximus habere, & incitamenta ex lege petita non plane esse praetermittenda, vel ex unico capite VIII. ep. ad Romanos satis superque constare potest.

§. XIII. 4) Cogitet etiam ad sanctificationis studium acendum constantiam probaturus, veritatem fidei & amoris erga Christum per serium, perpetuum ac debitum sanctificationis usum maxime demonstrari debere. Nulla enim fides in Christum valet, nisi quae per amorem efficax est; & fides sine operibus mortua est. Per nullam itaque aliam fidem nec iustificatur nec in statu iustificationis conseruatur homo, nisi quae viua est, sanctificationisque studium secum coniunctum haber, licet minime per illam iustificetur, quatenus illud coniunctum habet. (conf. Gal. V, 6. 14. Iac. II, 8. 17. 20. 26.)

D

5) Vi-

5) Videat etiam vere credens, ut aequabilitas in sanctificatio-
nis studio ita conservetur, ut omnibus, quae ad illam per-
tinent, simul & aequaliter augeatur, quo melius enim id sit, eo
meliores fiunt progressus. Omnes enim virtutes Christianae
societas vinculo continentur, aliaque per aliam funduntur.
Non solum ergo omnes inesse debent, ut *perfectio*, quam
Theologi appellant, partium adsit, sed omnes etiam partes
non secus atque in corpore bene valente atque augescente,
pro suo quaeque modo, incrementa capere debent. Hinc
Paulus fideles iubet crescere in Christum & augeri per eum
secundum omnia, quae ad veritatem in Christo pertinent.
(Eph. III, 15. 16. 2Cor. VIII, 7. 2 Pet. I, 5. 6. 7. Ebr. VI, 10. II. 12.
1 Thess. III, 9. seqq. Col. I, 9-12. Phil. I, 9-11. Eph. IV, 1-6)
Augeatur ergo non solum nouis homo, sed augeantur etiam
omnes illius partes aequaliter pro suo quaeque modo; sicut
omnes partes & membra veteris magis magisque ponni &
necari oportet. Videat porro, ut constantem tenorem in
sanctificationis studio seruet, sine notabili saltu & longio-
re remissione: ut enim faces ignem assidua concusione cu-
stodiunt, dimissum aegerrime reparant, sic calor & intentio
in bono, continuatione seruantur, intercapidine vero &
remissione languescent. 6) Videat denique, ut contentio &
studium crescendi semper cum submissione animi & agnitio-
ne imperfectionis iungatur; utrumque enim iungi deber ita,
ut alterum altero adiuvetur. *)

§. XV.

*) Egregie ad illustrationem rei huius valet insignis MACARII
locus nobis opportune succurrens L. de oratione c. XI. & XII.
p. 63. πέρι την τελειοτητα αφεορτας συμβαινει δυο τα καλ-
λιστα γνωσται, συντονον δε και αδιαπαυσον τον αγωνα εχον-
τας εις το περι διωκει δια την ελπιδα τω δε τω μετροφ Φρι-

XCVI

§. XV. Facile iam apparere poterit cuius, quomodo haec omnia ad sanctificationis studium & seruandum & augen-

και της αναβάσεως· τυφω δε μη αλισπεδοις αλλα μετριοφρο-
νειν, καὶ μηδεις ειστει πρεσβύτερος δια την μητρω τε τελεις κα-
ταληψιν· οι ταῦτα λεγοντες Φισιν εκ τριῶν τροπῶν την με-
γίστην φυχὴν περισπετει βλαβήν πρωτον μεν οτι των Θεο-
πνευστων Φαινονται διαπιστυντες γένεσιν· ειδη οτι του μενο-
ντα και τελειου μη προσηταμενοι τα χριστιανικα σκοπον,
μηδὲ προς εκεινον φθάσαι κατατεινομενοι πονον και σπαδην
πειναν τα και διβαν της δικαιωσυνης εχειν & δυνανται αλλα
τοις εξωτεροις χημαστι τα και ηθοι και ολγοις τιτι κατο-
θωμασιν εμπληγοφροσυμενοι της μακαριας ελπιδος και τελεο-
τητος και της παντελεως των παντελων παθων καθαριστων
απολιπονται· το τριτον οσι οιομενοι της αιχοτητος εφικε-
δωι τη κατορθωσι των ολγων, ως εφημεν, αρετων και μη
προς το τελειον επεγυμενοι & μονον ταπεινωτιν και πτω-
χιαν· και συντετριψιν καρδιας πησα εχειν δυνανται· αλλα
δικαιωντες εισιτεις ως ηδη κατεληφοτας & προκοπην επιδο-
σιν σπημεραι δεχονται· i. e. qui perfectionem prae oculis
habent illis duo quedam praestantissima eueniare contingit.
Summus ac irremissus contentionis ardor in ipsum apicem
spe huius mensurae, cursum in ascendenndo persequendi, &
ut superbia ne capiantur, sed modice de se sentiant, & exi-
guos se existimant, quoniam perfectionem nondum consecu-
ti sunt. Qui ea proferunt, tribus modis maximum animae
damnum important; primum quidem, quod diuinitus inspi-
ratis negare videntur scripturis fidem; deinde quod maiorem
& perfectum non praestituunt christianismo scopum, neque
ad illum peruenire contendentes, laborem & studium, fa-
mem & sitim iustitiae habere possunt, sed externis & super-
ficialibus habitibus & moribus, paucisque quibusdam tralati-

augendum pertinentia ipsam perseverantiam egregie iuuent. Ideo nonnulla tantum de eo dicemus. 1) Igitur seria haec sanctificationis exercitia fidem ipsam, quatenus Christum ad salutem apprehendit ac tenet, magis magisque augent, vt firmius tenere possit. Vi enim una fidei aucta augentur quoque partes reliquae, animaque fidelis semper capacior redditur, vt spiritus sanctus vim suam per verbum Euangeli illi eo fortius adhibere, ipsa vero melius accipero queat. Augetur etiam sitis ac cupiditas Christi gratiaeque illius, quoniam homo in serio sanctificationis studio altius perspicit, quam imperfecta adhuc & imbecilla sint omnia, & quantopere ideo Christo & gratia illius egeat, quamque in ea sita sint omnia. Idem ergo accidit animae in fide sanac gratiamque Christi apprehensam fideliter ad usum in sanctificatione transferenti, quod corpori sano. Quo melius enim sumitus cibus bonus ac salubris ab eo concoquitur, per vniuersum corpus concoctus distribuitur, refectaeque & confirmatae vires ad labores necessarios fuscipendos ac peragendos conferunt, eo magis cupiditas cibi augetur, cibique condimentum optimum fames fit. Sic cibi cupiditas & assumptio inseruit corporis viribus ad laborem eo melius peragendum confirmandis, vicissimque usus virium decens in labore inseruit

tiae virtutis officiis abunde contenti, a spe beata & perfectio-
nis absolutaeque prauorum onnais generis affectuum purga-
tionis recidunt. Postremo quod exhibitione paucarum vul-
garium virtutum, vt diximus, inflantes in opinionem sui, qua-
si iam apicem teneant, in quem summum euchi vis humana
queat; ideoque alterius adspirare desinunt, nec solum humili-
lem aestimationem sui, & pauperratem & contritionem cor-
dis minime habere possunt, sed etiam iustificantes se ipatos, vt
qui iam comprehendenter crescere quotidie promouerique in
melius cessant.

seruit cupiditati & suauitati cibi. 2) Deinde veritas etiam fidei iustificantis, hominemque apud Deum in gratia ponentis ex vero ac serio sanctificationis studio cognoscitur, homini- que certum sit ex bonis operibus tanquam ex fructibus, se vera fide iustificante vere praeditum esse. Boni hi fructus vero tutissima maximeque constantia ac perpetua verae fidei indicia sunt; a fidei vero praesentia ac veritate recte ad cer- tum in gratia statum peruenitur, ac proinde per serium san- ctificationis studium veritas status gratiae homini confirma- tur, cuius quo sit certior, eo magis ad perseuerantiam inci- tari & potest & debet. Omnia adhuc dicta neruose & gra- uiter complectitur, copulat & inculcat Petrus 2 Epist. I, 5-11. ita scribens: *ipsum illud studium omne (excitandum merito atque incendendum studio Dei in vos collato Cap. 3. & 4.) subinferentes exhibete in fide vestra virtutem; in virtute vero moderationem; in moderatione vero abstinentiam; in absti- nentia vero patientiam; in patientia vero pietatem; in pietate vero fratrum dilectionem; in fratrum vero dilectione amo- rem.* Haec enim si vobis adjunt & abundant, non constituant vos otiosos in cognitionem Domini nostri Iesu Christi. *Cui enim haec non adjunt, coecus est, oculis laborans, obliuionem nactus purificationis pristinae a peccatis.* Quapropter magis fratres studium adhibete, ut firmam vestram vocationem & electionem faciatis. Haec enim facientes non labemini un- quam. Ita enim abundanter exhibebitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri & Servatoris Iesu Christi.

§. XVI. (V.) Perseuerare cupiens adiumentis pre- cum cum vigilantia iunctarum ac verbi diligenter & decen- ter viatur. Primo ergo precatione assidua vtatur, nec illam unquam remittat. Cum enim Deus omnis boni fons sit, o- mnia ex illo hauriri & duci oportet, quam ad rem precibus

maxime opus est, quippe quibus cupiditas animae se iniicit quasi in Deum & Christum bonaque regni illius, eaque ad se trahere nititur tanquam parata sibi ac necessaria. Δοτις enim ac ληψις concurrere debent. Sicut ergo Deus ex sua parte non solum nouit, quibus indigemus, sed etiam libenter dat, ita homo quoque sibi ipsi non deesse, verum etiam desiderio animae, cupiditatisque nisu & contentione appetere ea, atque a porrigente ac dante accipere debet, promissis Dei fretrus ac nixus; huiusmodi enim preces ex fide proficentes multum apud Deum valent, ut & pericula malaque depellantur ac leniantur, contra vero bona necessaria tribuantur. Hinc nihil frequentius est, quam ut credentes ad serium & non intermissum precum studium excitentur. Ex innumerabilibus pauca feligamus, nec enim dubitatio aliqua facile oriri potest. Ipse igitur Dominus id magnopere apud suos usque ad extreum quasi spiritum vrsit, id sane non facturus, nisi summo ipsis ac verissimo iudicio inter praecipua ac maxime necessaria numerandum esset. Sic Lucae (Cap. XVIII, 1. Cap. XI, 2. seqq.) semper orare iubet, nec remittere, euentum simul exoptatum similitudinibus admodum notabilibus declarans. Et Lucae Cap. XXI, 36. de perseuerantia maxime loquens, vigilate igitur, inquit, omni tempore precantes, ut digni statim effugere haec omnia, quae futura sunt, & constitui coram filio hominis. Discipulorum porro inconstantiam praesentiens & cauere gestiens, idem vigilate, inquit, & orate, ne in temptationem incidatis. Nec vero Dominus praeceptis tantum suis, sed etiam exemplo nos docuit summa contentione ac frequentissime parrem precatus. Quo maior ingruens malorum turba erat, eo ardentior & contentior precatio siebat hoc modo quoque pro salute nostra laborantis. Idem urgent eodemque modo praecipiendo sci-
licet

licet ac praeceundo Apostoli fideles Domini serui. Sic Paulus, ut alibi, ita etiam ad Thessalonicenses scribit i Ep. V, 17.
precamini sine intermissione. Iudas vero (Ep. comm. 20, 21.)
vos autem, inquit, dilecti, sanctissima vestra fide superstruente
sor ipsi, in spiritu s. precantes vos ipsos in amore Dei conserva-
te &c. quibus vero de rebus in oratione sua coram Deo age-
re debeant, non eget longa oratione. Primo quidem scili-
cer ac generatim de omnibus; christiani enim hominis est,
semper ante oculos habere, se non ex se, sed vnicce ex Deo
aptum esse, ac proinde omnibus rebus suis incipiendis ac ge-
rendis consiliisque Deum adhibere debere, & cogitare, nihil
rite ac recte se sine Dei immortalis ope, consilio, honore au-
spicari & agere posse, praecipue vero ea experat ipsa, quae
ad amplectendum arctius, possidendum ac fruendum Chri-
stum, ac proinde etiam ad perseuerandum in eo pertinent.
(Conf. Eph. I, 15. &c. Cap. III, 16. &c. Col I, 9. &c. Ioh. XVII,
totum.) Quae enim ipse Dominus legatique illius creden-
tibus maxime precantur, in iis ipsis quoque indulgentiam
Dei pro se maxime implorare decet.

§. XVII. Iuuabit vero nonnulla adferre, quae cre-
dentes in precibus maxime obseruare oportet. 1) Ergo ex
Domini praescripto studeant, ut magis magisque in spiritu
ac veritate precentur, totumque proinde animum, omnes-
que illius cogitationes ac desideria in Deo desigant, ita, ut
plus, vel saltim non minus in animo, quam in verbis sit. Qua
in re quo acrius se quisque exercet, eo magis ad arcanam
cum Deo & Christo familiaritatem & consuetudinem perue-
niet, quae efficiet, ut etiam inter alia negotia, quae agenda
sunt, quaque facile distingunt animum & communuant, in
intima tamen mente cum DEO agere & esse possit. Efficit
etiam, ut nunquam minus solus sit, quam si solus est, minus
que

que otiosus, quam si otiosus est aliisque occupationibus liber. Solitudo enim ac otium Christo in corde habitanti quasi locum praebet, ut in animum bene antea comparatum ac consuetudine illius delectantem, iam vero ab actione aliarum rerum vacantem, eo liberius spiritu suo ac vi influere possit. 2) Videat etiam constantiae studiosus, ut cum fiducia, simplicitate ac reuerentia auxilium a Deo perat; ita enim haec ac rite temperata Deo mirifice probantur, efficiuntque, ut preces animae credenti eo maiores fructus ferant. Fiducia enim in benevolentia Dei per gratiam, in qua Christus apud eum est, in nos collata id praefstat, ut sine timore seruili & excrucianti, sine dubitatione ad Deum accedatur, persuasumque habeatur, preces ei acceptas ac proinde etiam fructuosas fore, quae persuasio animo alacritatem adfert. Quemadmodum David dicit Ps. XIII, 6. *exspecto vero quod tam benignus es, & cor meum laetatur, quod tam libenter auxilium praefas.* Sinceritas vero animi ac simplicitas praefstat, ut candide omnia, quae in animo sunt & sentiuntur, bona & mala, desideria & sollicitudines explicemus, &, ut sacrae litterae loquuntur, pectora depleamus. Conf. Ps. XXXXII, 5. LXII, 9. tanquam coram illo, qui intima introspicit ac perspicit. Reuerentia denique id efficit, ut ne fiducia & simplicitas degeneret in temeritatem & leuitatem aliquam, sed quasi hoc sale condita indolem necessariam retineat. Cogitare nos iubet, quantum inter Deum & nos interfit, efficitque, ut ne fiducia & familiaris conuersatio cum Deo usque indulgentiae illius quid detrahatur honori, quem illi haberi oportet ab omnibus naturis creatis. Summa igitque fiducia summaque reuerentia erga Deum bene conueniunt, ac simul constare & possunt & debent. Illa id maxime adfert, ut eum tanquam optimum fidenter amplectamur, haec, ut tanquam maxi-

maximum submissae veneremur. Quo melius haec in precibus, imo in omni vita coniunguntur, alterumque quasi per alterum funditur, eo proprius acceditur ad similitudinem illorum, qui beata iam aeternitate fruuntur, qui in summa submissione, indignitatis conscientia, maiestatisque veneratione Deo dulcissime fruuntur ac gaudent. Hinc maximi fidei heroes, quorum nomina, virtutes, gratiaque apud Deum tantopere celebrantur, ut maxime submissi ita etiam reuerentes Dei laudantur, quemadmodum illud ex Pauli aliorumque exemplis facile demonstrari posset *). 3) Obseruandum etiam, ut non solum a Deo optent & expetantur, quae desunt ac desiderantur, sed etiam nunquam non agantur gratiae pro iis, quae tributa sunt. Proclius enim eo est animus, ut memor quidem sit deficientium, obliuiscatur vero acceptorum, Deumque proinde debita laude vel priuet, vel saltem non satis adficiat. Hinc Paulus Phil. III, 6. scribit: in omni precatione & obsecratione cum gratiarum actione rogationes vestrae in notitiam Dei perferantur. 4) Preces fiant necesse est cum magna contentione illa impletandi, quae ex Dei voluntate petere oportet & licet, & tamen nihilominus ea animi moderatione, ut ratio & modus exauditionis Dei voluntati relinquatur, quod eo tranquilliori aequiorique animo fieri potest, quo certius ille & perspicit & vult, quae optima suisque maxime salutaria sunt. 5) Attendi etiam debet ad exauditionem precum, quae ut animad-

E uerta-

*) Commode obseruauit scriptor quidam, hominibus mortalem hanc vitam adhuc agentibus Deum in verbo frequentissime ut patrem proponi hocque nomine appellari, quo animi illorum natura & mala consuetudine iam satis alieni ad fiduciā & accessum allicitantur; in illa vero vita summam Dei sanctitatem a iustis consummatis laudari, & omnia reliqua reuerentia illius non quidem tolli sed quasi absorberi.

vertatur, cum ad id, quod in ipso homine sit eiique evenit, tum ad id, quod extrinsecus sit, attendi debet. Caveat vero anima fidelis, ne exauditionem precum praesenti tantum sensu metiatitur, ac proinde de illa dubitet, si non statim sensum aliquem notabiliorum gaudii, subleuationis & auxillii percipit. Credendum hic quoque, vt alibi, etiam si non cernitur, ac sentitur; quam fidem suae fidei habitam Deus certo remuneratur. 6) Accedat etiam perpetua vigilantia necesse est, qua ad bona & mala interna & externa diligenter attenditur, quo illa caueamus & eiiciamus, haec vero, consequamur, teneamus, & augeamus.

§. XVIII. Cum vsu precum explanato adhuc adsiduus eriam verbi diuini vsus coniungendus est. Cum vero Verbum ratione argumenti primarii in Euangelium & Legem dividatur, vtroque rite vtrendum esse persuasum habent, quibus felix in bono processus & inoffenso pede curae est. Euangelii spiritualis, serius ac pius vsus quotidianus animali cibus, quo alatur nouus homo & augeatur, nec minus etiam quotidiana medicina sit, qua sanetur magis magisque, vtroque enim & cibo & medicina fideles in hac vita adhuc indigent. Videant vero, vt ne Euangelium disiungant, sed toto vtantur. Omnia enim Euangeli promissa ac beneficia copulata ac cohaerentia sunt, ex quo fit, vt nullum eorum sine reliquis rite aut intelligi, aut satis experti, aut percipi, aut in usum conuerri queat. Videant porro, vt nec spiritum a verbo, nec verbum a spiritu in suo vsu se iungant, sed, quemadmodum spiritus L. vis cum Euangeli verbo semper coniuncta est, ita ipsi quoque, quotiescumque verbo vtuntur, vim illam coniunctam semper admittant, recipient, totumque illi animum permittant, quo omnia in succum & sanguinem vertantur, & ipsi proinde viua epistola Christi fiant,
Euan-

Euangelio in cordibus illorum inscripto. Nec vero Legis vſus a viatoribus sine detrimento praetermitti potest ac debet. Primo enim ex Lege cognosci deber, quid ex Dei voluntate faciendum & praetermittendum sit, ne ignorantia peccetur, & vt statim innoteſcat, si qua in re per imprudentiam aut imbecillitatem peccatum est. Deinde ad illam, tanquam ad normam exigendum est, quicquid agendum occurrit, vt appareat, vtrum rectum aut prauum, bonum an malum sit. Nec obliuſere hic licet, vt a nonnullis interdum fieri solet, spiritum ſc. quem acceperint fideles, haec omnia illos docere ac proinde vſu legis amplius iis opus non esse, qui spiritum ſc. habeant. Nam veriſſimum quidem eſt, spiritum nos docere debere, quae ſit voluntas Dei in omnibus, nunquam tamen legitur, illum id sine verbo atque eius pio vſu, apud eos qui habent, facere. Sicuti ergo nos per verbum Euangeliſ decenterneque eius vſum ad viuam cognitionem vſumque bonorum ſpiritualium perducit, ſic per verbum Legis eiusque decentem vſum perducit ad cognitionem voluntatis Dei. Vt taceamus illam Legis praetermissionem apud fideles aequē atque illius abuſum apud eosdem, Apostolicae doctrinae docendique rationi plane repugnare, ad quam tamen tanquam ad normam omnia iudicia noſtra actionesque rerum omnino dirigi, nec quenquam eo progredi oportet, vt plus sapere velit. Qui enim hic aliquid corrigeret vult, nunquam non deterius facit. *) Denique cum fidelibus et iam

*) Nullius momenti eſt ad dicta conuellenda prouocatio ad locos nonnullos, qui omnem legis apud fideles vſum tollere videntur; quod exemplo duorum paucis ostendemus. Nil igitur ad rem facit locus Rom. VI, 14. vbi Paulus, *non imperabit vobis, inquit, peccatum, quoniam non sub lege sed sub gratia eſtis.* In lege ſcilicet ſpectantur vel ipſa illius praescripta

iam vnum vel alterum adhuc vitium altius inhaereat, quod identi-

scripta, vel adiunctae dirae & poenae in illos constitutae, qui non perfecte illa seruare possunt. Ab obligatione ad seruanda praecripta legis liberi esse non possunt fideles; quod vel ex eo luculentur appetit, quoniam summa & caput legis amor Dei & proximi est, qui fidelibus tantopere inculcatur. Quod vero ad diras & poenas legis attinet in eos statutas qui legem non perfecte *extensae* atque *intensae* seruarunt, liberi omnino per Christum illis sunt & manent, quia per fidem in Christo sunt atque in illius gratia, si modo non secundum carnem sed secundum spiritum ambulent; id quod gratia & virtute Christi omnino praestare possunt. Ratio rei in eo sita est, quoniam Deus, ut apostolus alibi docet, (Rom. VIII, 3. &c.) condemnationem peccati confecit, vimque illi ademit, dum in filium transtulit, qui morte sua piaculari liberationem nobis a peccato peperit. Quoad vero homo extra Christum est ac proinde diris & poenis legis tenetur, nullam quoque facultatem haberet, praecepta Dei ita seruandi, ut id Deo probetur; quamobrem peccatum ei non potest non imperare. Alter locus, quo abutuntur nonnulli, qui inconsulte interdum de usu legis apud renatos loquuntur, exstat I Tim. I, 8. &c. vbi Paulus, *nouimus vero*, inquit, *legem esse bonam si quis ea recte vivitur; sciens iusto legem non iacere, iniustis vero & non obedientibus &c.* In varias sententias hic locus variis interpretationum cogitationibus distractabitur. Nos breuiter quid nobis videatur edisceremus. 1) Sentimus cum iis qui statuunt, doctribus hic maxime, qui verbum tractant & ad hominum varios status accommodare debent, praescribi, quomodo in tractanda lege versari debeant. Opposita enim sunt verba haec illis qui se *vocando etenaces iactabant*, veram autem legis rationem eiusque iustum ad animas translationem ignorabant. Apparet id perspicue ex comm. 7. Ne vero perperam quis existimat, apostolum ipsum legis usum in docendo & in doctribus damnare, errori huic occurlusus subiicit, *nouimus vero legem*

identidem sollicitat, etiam hanc ob causam legis vſus necessa-

E 3 rius

legem esse bonam (ac proinde etiam vtilem & vtendam) *si quis* (doctoſor ſcilicet, cuius eſt oratione Dei animos hominum tra-
Eſtare) *reče vtatur ſciens* (i.e. ac proinde cognitum, & in do-
cendo ſemper ante oculos habeat) *legem iuſto non iacere.*
2) Vocabulo *iuſto* in verbis hiſ vltimis, vſitatiſſimam, noſio-
nem ſubiicimus, vt ſcilicet eum ſonet, qui cum per fidem in
Iefum iuſtificatus & apud Deum in gratia eſt, tum etiam iuſti-
tiam vere colit gratiaque in ſe collata ad id vtitur, quod Pau-
lus docet Tit. II, 12. ſqq. 3) Huie negat Paulus *legem ia-*
eere, quea verba maxime interpretes exercuerunt. Nos fe-
quentia notamus. a) Cum Paulus ipſe locis innumeris *vere*
iuſtis praecēpta legis inculcer, ſententia verborum eſt nequit,
iuſtos lege non amplius obligari. b) Legem negat iuſtis *ia-*
ceere, i.e. nec taedio eſt, nec velut impedimentum in via iacere
cum annexis ſuis, diris ſcilicet & poenis, quo minus bono ac
fidenti animo erga Deum eſt & ad illum accedere poſſint.
c) Contra vero *iacere* adſiſmat i.e. offendioni eſt, & vt impe-
dimentum in via iacere, *iniuſtis &c.* quippe qui & ipſi legi in-
fensi ſint, & quos illa diris ſuis arceat a Deo. Renati ergo &
iuſtificati, quoniam per Christum cum Deo, ideoque etiam
cum lege Dei quaſi in gratiam per eundem redierunt, nec ipſi
inimici legi ſunt, nec lex illis eſt. At non renatorum alia ac
plane contraria ratio eſt. Haec vero falsi illi doctores legis
ignorantes, peruerso legis vſu animas miſere perrubabant,
quod aliunde ex epiftolis Pauli ſatis conſtat. Conferre volu-
mus attentum lectorēm Luc. II, 34. vbi Christus ipſe nonnullis
tanquam offendiculum & impedimentum iſpoforum cul-
pa in via iacere dicitur, cum alii reče illum cognofcentes eo ipſo
adſurgendum vtantur. Vbi ipſum quoque vocabulum *zeſtau*
in eundem ſententiam quam nos loco Paulino tribuimus, po-
nitur. Quem parallelismum biblicum nos pluris facimus in
interpretando, quam farraginem rerum extranearum a viris
doctis congeſtam. conf. I Pet. II, 6. 7. 8. 2 Cor. II, 15. non
mirum verbo Dei idem accidere quod Christo Dei.

rius est, vt id non solum cognoscant, & se opponant, quo spiritus carnem vincat & magis magisque debellet, verum etiam vt culpam & poenam, quam contrahit omne peccatum per se ac natura sua, cogirent, ac proinde etiam non voluntariis peccatis ipsoque naturae vitio doleant idque detestentur, atque ita dolentes ac detestantes per fidem veniam a Deo petant. Vera enim & sana fides veniam delictorum nec cupit, nec consequitur sine poenitentiae moribus & exercitationibus. Hinc minis Legis apud fideles etiam interdum adhuc opus est, vt in periculo, quod adhuc imminet, eo rectius ac sincerius Euangelio vtantur. Eo enim omnis omnino Legis vsus conferri tandem debet, vt verus ac solidus Euangeli vesus adiuuetur. Eo consilio Paulus scribit ad Romanos (cap. VIII, 13) *si secundum carnem vixeritis, moriemini, si vero per spiritum carnis negotia occideritis, vivetis.* Tacemus externas ad malum sollicitationes, ad quas praeuidendas, effugendas, & superandas decens vesus Legis pariter facit. Denique id quoque ad usum verbi decentem pertinet, vt exempla bonorum malorumque diligenter considerentur, illa ad imitandum & excitandum animum, haec ad cauendum & fugendum malum.

§. XVIII. (VI.) Qui fidem & officium usque ad finem conseruare volent, vigilent quoque semper oportet ac pro salute sua excubent. Id quod ipse Dominus suis grauisime commendat, ne securi opprimantur. Ita enim, vt alibi, sic etiam (Marc. cap. XIII, 37.) *quod vero, inquit, vobis dico, omnibus dico, vigilate;* simili ratione negligentiae obuiam iterus suis praecipit; (Luc. XII, 35.36.) *lumbi vestri accineti sint ac lumina vestra ardentia, similesque sitis seruis, qui dominum suum exspectant.* (conf. Apoc. III, 2.3.) Hinc etiam alibi beati praedicantur, qui vigilant. Sic etiam in Apocalypsi legi-

legitur (Cap. XVI, 15.) *beatus qui vigilat, vestesque suas tenet.*)^{*)} Praecepta haec a Domino accepta Apostoli diligenter seruarunt nobisque tradiderunt. Sufficiat vnicum Petrum citare ita scribentem (Ep. V, 8.) *sobrii estote & vigilate;* cui exhortationi ne aut inanis aut leuis videatur, grauem causam subiuncturus addit, hostem animarum peruigilem sat & quasi insomnem nunquam non illis malam pestem ac perniciem machinari, ut equis quasi virisque obſistendum sit.

Vigi.

^{*)} Scribit vir quidam doctus in obſeruatione ad h. l.p. 489. *intelligi hic locus nequit absque praefidii antiquitatis Hebraicae,* quomodo *vestes excubitorum fuerint seruatae, si vigilarent;* & *quomodo corruptae, si agendis excubiis custodes indormiūſſent.* Plura deinde transfert ex monumentis Talmudicis eorumque interpresibus, quibus dicta sua confirmari censet. Nobis admodum dubium videtur, Iohannem de excubiis templi haec scribentem cogitasse, veremurque ne hic longius petatur quod in propinquo occurrit, & ex obsoleto Iudeorum more quod in communi & quotidiano omnium mortalium versatur, quem proinde vocem hanc magis respexisse quam illum plane credimus. *Vigilare scilicet spiritualiter nihil aliud est,* quam attentum & sollicitum esse de iis, ad quae attendi debet; *vestesque habere & seruare idem est arque paratum & instructum esse ac manere praefidique necessaria semper in promtu habere, ut expedite ac sine mora omnia facere possimus* quae res postulat. Hinc nudus ille est & dicitur, qui minus instructus & inermis est. Perita ergo est sententia ex communi hominum more, qui si sani peruigilant, vestiti sunt & manent, quo ad omnia, quibus opus est, statim expediti sint. (conf. Rom. XIII, 12. Luc. XII, 35. Eph. VI, 11. 1 Thess. V, 8.) si quis ergo modo in communi more non sit hospes, morem illum Iudaicum hic quidem impune ignorare licebit. μηδεν ος γαντιαν hic dicendum videtur; proximorum incuriosi longinqua sectari non debemus.

Vigilantia vero tantopere commendata sequentia, vt rem breuiter complectamur, imprimis capita continet. 1) Pertinet eo excitatio animi perpetua ad attentionem ad se ipsum, statum totius animi & Christianismi, consilia actionesque omnes, eo fine, vt quae bonorum malorumque apud nos roris sit, bene animaduerramus. 2) Postulat etiam vigilantia, vt ad hostes externos, diabolum & mundum, eorumque conatum, varias & omnis generis insidias attendatur diligenter, quippe qui tam aperta vi, quam occultis μεθόδαις, vt Paulus appellat, grassantur. Haec itaque animaduerrere, sibique etiam pericula ab intestinis & externis hostibus adhuc metuenda proponere, multum interest; qua consideratione credentes ita vii oportet, vt ne hostes negligant & contemnant, sed arma sumant, imo semper in armis sint, quo primum statim impetum & sentire & sustinere queant. 3) Vigilantia eo quoque continetur, vt animus in ea quoque semper intentus maneat, quae nondum adsunt, sed adhuc in verbo insultant, quae si diutius differuntur, facile corpori animum inuadere, dilatatione laetam & attentam exspectationem minuere solet, cum augere deberet. Id quod Dominus proposita virginum etiam prudentum similitudine significare suis & cauere voluit. 4) Postulat porro vigilantia spiritualis, vt credentes adsidue & sine vila intermissione vires omnes facultatesque spirituales exsuscitent, omnique opportunitate occasioneque bona rite vtantur, videantque, vt fides, charitas & spes vigeant. Sicut enim lumen, nisi oleum in tempore infliles, sensim minuitur & tandem plane extinguitur, sic lumini gratiae idem accidit, nisi oleum spiritus petatur & infundatur, (conf. Matth. XXV. Luc. XII.) Id quod Paulus Timotheum monet, *donum Dei, quod in ipso erat, exsuscitare iubens* (2 Ep. I, 6.). Pertinet etiam eo, vt fideles omnia, quae intus & extrinsecus fiunt

&

& accidunt, ad utilitatem spiritualem conuertere & studeant, & discant. Vigilant enim homines, ut aliquid agant & commodis suis inseruant. Quemadmodum ergo Deum amantes ex Dei sententia omnia conuertuntur in bonum, sic ipsos id agere oportet, ut & ipsi conuertant. 6) Denique ad vigilandum sobrietate etiam & temperantia animi corporisque opus est, quam ob rem duo haec frequentissime iunguntur, quoniam alterum sine altero sibi plane constare nequit. Hinc Dominus grauissime, caute, inquit, ne corda vestra onerentur crapula & commessatione, & curis ad vitam hanc pertinentibus. Quibus verbis Dominus omnia complectitur. Postulatur vero non solum, ut ne aut animum, aut corpus nimio oneremus & opprimamus, sed etiam, ut in lictis per se temperantiam, moderationemque adhibeamus, nosque in eorum abnegatione exerceamus; viendum enim rebus seculi huius decenter, ac modice non vero fruendum. Hinc Paulus id nos suo exemplo docturus scribit: *omnia quidem mibi licent, sed nulla re in potestatem me redigi patior, omnia licent, sed non omnia profundunt* (aliis scilicet, i Cor. VI, 12. coll. Cap. VII, 30. 31.) Caveat ergo, cui salus sua curae est, ne nimis se oneret ac distingat rebus ac negotiis virae huius, ne animus ad spirituallia & aeterna torpescat. Caveat, ne parum faciat, & hoc modo in varias perturbationes incidat. Notamus denique de tota hac re grauissimam Pauli orationem ad Thessalonenses ita scribentis (i Ep. V, 6. &c.). *Ne igitur dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus. Dormientes enim noctu dormiunt, & ebrietati dediti nocte inebriantur. Nos vero diei (filii) existentes, sobrii simus induiti thorace fidei & amoris, & galea spe salutis.*

§. XX. (VII.) Qui perseverare volet, discat magis magisque tolerantiam crucis Christi atque in animo semper

infixum habeat, ad vsum secundorum per aduersa veniri, Aequo ergo animo suscipiat & ferat quae Dominus imponit. In regnum enim Dei non nisi per varios casus & varia discrimina rerum tenditur. (Act. XIV, 22.) Cogitare ergo diligenter oportet, necessariam non solum, sed utrissimum etiam esse crucis conditionem a Domino latam. Necessaria est, quoniam simpliciter a regno Dei excluditur, omni plane gratiae & gloriae spe praecisa, qui non cum Christo & propter illum perfert. Id quod tantum non omnibus paginis verbum Dei docet. (conf. Rom. VIII, 35. &c. 2 Tim. II, 11, 12. Cap. III, 12. Hebr. XII, 6. &c.) Grata vero haec debet esse necessitas, omnesque illius molestiae ac difficultates proposita multiplici vtilitate abstergi ac superari. Primo enim id magnopere Domino probatur voluptatique non minus quam honori est, si ipsi addicti lubenter in societatem calamitatum veniunt, & hoc modo ipsi fidem, amorem amicitiamque alacri animo probant. Hos magni aestimat, hi apud eum gratia florent, quae sane ipsis infructuosa esse non potest. Quid vero non debetur prolixaque voluntate illi praestandum est, qui atrocissimam indignissimamque pro nobis mortem opperit, vt vitam salutemque nobis adferret. Deinde crux ipsis quoque fidelibus magnopere prodest, aperit enim & detegit veram bonorum malorumque, quae insunt ipsis, rationem, magno- que usui est, si recte se gerunt, vt virtus magis magisque extirpentur, bona contra magis probentur ac confirmentur. Accultur desiderium patriae, si in diuersorio varia incommoda perferenda sunt. Ingens denique praemium illis propositum est, qui crucem portarunt. Quo similior enim quisque efficitur Domino & in suscipiendis aduersis & in perferendis, eo propius etiam ad similitudinem gloriae accederet, prae cuius magnitudine omnia levia & exigua videri debent. Pugna quippe

quippe brevis est, pugnae vero ac victoriae praemia non solum diurna, sed aeterna sunt. (conf. Rom. VIII, 18. 1 Pet. II. 2 Cor. IV, 17. 18. Apoc. II, 10. III, 11. VII, 13. &c. Cogitare etiam decet fideles in aduersis, se nec solos, nec primos esse, qui perferant, sed omnes omnino, qui vñquam & vsquam a principio fuerint, eodem itinere ad aeternam gloriam contendisse. Quorum omnium cum signata in angusto hoc tra- mite vestigia habeant, improbum & iniquum esset, praeci- puam fortunam postulare, communem bonorum omnium re- culare, eosque praecursores, imo coronam iam adeptos sequi nolle, quos ideo quia cucurrerunt beatos praedicamus. His stimulis idcirco verbum Dei & currentes & languescentes frequenter incitat illos, ne remittant cursum, hos ut in illum reuocentur, nec per summum dedecus ac perfidiam castra summi Imperatoris Christi deserant, (conf. Hebr. X, 23 &c. Cap. XII, 1. &c.) Probanda vero in perferendis calamitati- bus maxime patientia; iugum enim Christi non solum ferendum sed etiam perferendum est. Hinc tolerantia perpetua tantopere commendatur (Ebr. X. XII) diurnitas enim ma- lorum ad languorem & indignationem crucis interdum solli- citat. At hic fides Dei cum summa sapientia perspicientiaque rerum omnium iuncta cogitanda est, quae non patitur aliquid accidere suis, nisi quod vtile ipsis & necessarium nouit. *)

§. XXI.

*) Egregie MACARIUS haec de re differit. L. de liberitate mentis. c. XIII. p. 196. της υπομονης και της ελπίδος προ πάντος αλ- λα Φύχη τη ευαγεστησι τω Θεω βαλομενη αντιληπτεον μια γαρ και αυτη της κακιας τεχνη ακηδικην ημιν εμβαθειν εν καιρῳ Θλιψεως ινο της προσ του κινιον αποσηση ελπίδος. εδεποτε δε Θεος επιτρέπει επ' εκεινα ελπίζεσται κατακονθη- ναι τοις πειρασμοις ωσε και εξαποσηθησαι. Πισος γαρ, ο απο-

§. XXI. (VIII.) Perseuerare cupientes etiam mutuis exhortationibus precibus aliisque mutuis officiis se iuuent atque excitent. Ante omnia quidem ipse quisque id sibi prae-stare.

τολος Φισιν, ο Θεος, ος εκ εασει υμας πειραθηναι υπερ ο δυναδει αλλα ποιησει συν τω πειρασμω και την εκβασιν τω δυναδων υπενεγκεν. Και ο πονηρος δε εχ οσον εκεινω θελητης λυπει την ψυχην, αλλ' οσον αυτω εφειται παρα τη Θεος. Ει γαρ αιθρωποι εκ αδηλου ποσον αν ημιονω βαρος, ποσον δε ενω, ποσον δε καρηπω ει. αλλα τον Φορητον επιτιθητι και τω περαμει δε δηλου, ποσον τω πυρει χει τα σκευη παραδανι χρονον, ινα μητε πλεον εμμεναντα διαρρεγη μητε παλιν προ της αρχης πιστωτεος εκβληθυτα αχηντα η ει τοτατη περι τον αιθρωπον συνεσι, εχι πολω πλεον και απεικως πλεον η τη Θεος συνεσι οιδε, ποσον εκασι ψυχη του πειρασμον δεον επενεγχθυναι ινα δοκιμος γενειτο και επιτηδεια προς την των ψυχων βασιλειαν· i. e. patientiae & spei ante omne aliud opera danda est animae Deo placere volenti. Vna enim haec est ex artibus diaboli torpore nobis iniicere in tempore afflictionis, vt auertat nos a spe in Domino ponenda. Nunquam autem Deus tantum fatigari tentationibus permittit animam in ipsum sperantem, vt ad incitas redacta omnis inops consilii aestuet. Fidelis enim, inquiete apostolo, Dominus, qui non patietur vos tentari super id quod valens, sed faciet etiam cum tentatione euentum, vt possitis sustinere. Neque enim diabolus quantum ipsi libitum est addigit animam, sed qua mensura id agere sinitur a Deo. Si enim hominibus ignotum non est, quantum oneris portare mulus possit, quanto par ferendo sit asinus, quanto Camelus; vnde consenteamus cuiusque viribus cuique pondus imponunt; & si perspectum figulo est, quanto temporis spatio vase in fornace relinquat debeat, ne longius aequo ibi haerentia diffiliant; nec rursus ante sufficientem coctionem si eximantur inutilia fiant:

stare deber, nec aliis maxime niti. Hinc cauendum est, ne consuetudo & familiaritas cum amicis Christi ipsi consuetudini & familiaritati cum Christo fraudi sit, vt, dum vna cum amicis sponsi sponsum ipsum conuenit, eo rarius solus conueniat, solusque cum solo agat; cum porius omnis mutua fraterna exhortatio & excitatio eo conuerti debeat, vt vnuus quisque pro se deinde eo tenacius Christo adhaereat, & in intimam eius familiaritatem penetret. Quod si fit, mutua fraterna exhortatio maximo perseuerantiae & incitamento & adiumento est, eamque ob causam fidelibus maxime iniungitur. Sunt enim fideles membra corporis Christi, sicut ergo membra se inuicem adiuuant, & omnia quasi in communione conferunt, sic ipsis quoque opera, re, consilio, deprecatione sibi inter se utilles esse debent. (conf. 1 Thess. V, 11. Gal. VI, 1. &c.)

§. XXII. (VIII.) Perseueraturus nouissima statumque aeternum frequenter cogiter. Instat omnibus mors, iudicium, finis rerum omnium in aeternitate. Nihil ergo magis necessarium, quam vt haec altissime in animo infigantur in hac vita & agitantur. Id ipse Dominus grauiter & mouuit & egit, viri vero Dei vestigia ipsius fideliter fecuti non minus sedulo & sibi & omnibus proposuerunt. Quod ad Dominum ipsum attinet, saepius ille suos ad extrema & ultima probe perpendenda, acuendamque illorum propositione diligentiam cohortatus est non solum, verum etiam cohortationibus vim additurus simul grauitatem rei in viramque partem exposuit. (conf. Matth. XVIII, Luc. XXI, 25. &c. Matth. XIII. & Cap. XXV. totum.) Quod vero suis imperauit, ipse

F 3

quo-

fiant: si tanta inquam in homine prudentia inest, multo atque adeo infinitis partibus magis diuina sapientia perspicit, animae cuique quantum pondus tentationis immitti debeat, vt per eam probetur & idonea regno coelorum fiat.

quicque fecit, semper quippe sibi in cursu suo metam propo-
nens gaudiaque a patre post exhaustos labores toleratosque
cruciatus promissa. Ex multis vnum alterumue in praesenti
in medium protulisse sufficiat. Scilicet nihil frequentius
est in precibus illius ad patrem fusis, & in sermonibus, quam
vt de morte sua piaculari, exitu ex hoc mundo gloriaque
consequenda loquatur. Ex qua frequenti admodum com-
memoratione satis adparet, quam frequenter haec omnia se-
cum cogitauerit, atque etiam hoc modo pro imbecilla illa
conditione, qua nostra causa in his terris vixit, ad perforanda
fortiter atrocissima quaevis se excitauerit. Id quod etiam
Paulus non obscure indicat exemplum illius credentibus pro-
ponens & ad Ebraeos ita scribens: (Cap. XII, 2.) *intuentes
in fidei principem & consummatorem Iesum, qui pro proposito
ipsi gaudio pertulit crucem, contumeliam contemnens in dex-
tra throni Dei confedit.* Verba enim αντι της προκειμενης χα-
ρας id omnino sibi volunt, Dominum gaudia illa tanquam la-
boris praemium sibi proposuisse a patre propositum (conf.
Ec. LIII. Pl. XVI.) Apostoli vero tantum non in omnibus ser-
monibus ac cohortationibus suis idem agunt, sibique & aliis
futura ac nouissima ob oculos ponunt, vt omnia huc trans-
ferre longum esset, quae paulummodo in sacris litteris ver-
sato ignota esse non possunt. His ergo breuiratis studio hic
praetermissis vnum tantum in praesenti monebimus notatu
vero dignissimum. *Iubent scilicet diuini viri expectare fre-
quenter aduentum Domini ultimum, atque amare apparicio-
nem illius gloriosam.* (conf. 2 Tim. IV, 1. Tit. II, 13. 2 Pet. III,
11. 12.). Item labis expertes & irreprobenfibles seruare praec-
cepta Christi vsque ad illius apparitionem, (1 Tim. VI, 13. &c.
coll. Luc. XII, .) cuiusmodi ad hortationibus id vrgent viri
diuini, vt fideles animo cogitationeque futura sibi quasi re-
prae-

praesentent, & ita agant ac viuant, quasi viuendo in his terris adhuc ad diem Domini peruenturi essent, imo, quasi quilibet dies, quem attingunt, dies ille ultimus & magnus esset, qui tantam rerum omnium conuersionem sit adlaturus. Nec enim huiusmodi orationis genus eo pertinet, ac si aut sibi, aut aliis persuadere voluissent, diem Domini reuera iam tam propinquum esse, ut viuendo ad illum peruenturi sint, qui tunc aeuum in terris agebant.

§. XXIII. Quo vero haec cogitatio vim habeat apud animum, sacris litteris dueibus futura ita consideranda suar, vt 1) semper cogitetur, quam incerta mors, & quod quilibet dies possit esse ultimus. Id quod eo maiorem sollicitudinem adfert ea fugiendi, in quorum actione morre opprimi verus christianus nollet. 2) Nunquam non ponderandum, ex actione statuque huius vitae exituque ex illa pendere statum conditionemque vel felicem, vel infelicem in vita futura, in hac vita esse quasi tempus facienda fementis, in illa colligendae messis, cuius ratio non secus atque in natura fementi respondeat. Hinc Paulus ad Galatas scribit (Cap. VI. 7. &c.) *Ne decipiamini, Deus non patitur se irrideri, quicquid enim seminauerit homo, illud etiam metet. Qui seminauerit in carnem suam, ex carne metet perniciem, qui vero seminauerit in spiritum, ex spiritu metet vitam aeternam.* Et alibi (Rom. Cap. II, 6 &c.) *Deus reddet, inquit, cuique secundum opera sua, vitam scilicet aeternam, quaerentibus secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptibilitatem; illis vero, qui ex contentione sunt, & non obsequuntur veritati, parent vero iniustitiae, excandescientia & ira (incubet).* Nec vero solum ipsa aut felicitas, aut infelicitas illius vitae ex ratione praesentis, quam nunc agimus, sed etiam gradus vtriusque pendent; ut ex oraculis diuinis liquido apparet. Dei enim iustitia

iustitia non solum bona & mala accurate discernit, sed etiam vtraque accurate ponderat, omnibusque pro suo cuiusque merito gratiam refert. 3) Considerare etiam serio opus est grauitatem ac magnitudinem eorum, quae cuique instant. Cogitare ergo aequum est, quam graue sit pondus gloriae, ut Paulus loquitur, (2 Cor. III, 17. &c.) quo adficiuntur metam consecuti, quam pulchra corona gloriae, quam ferant; quanta gaudia, quae tum percipient, si Dominum videre, & cum illo agere continget; quantus honor, quem Dominus suis habitus est; quam alta ibi tranquillitas ac secura pax, quae contra omnia pericula non solum, sed omnem etiam illorum metum muniet. In summa, quam inexhaustae sint diuinitiae indulgentiae diuinae & gloriae, qua frumentur olim, qui fidem constanter probauerunt. Et licet generaliora sint pleraque, quae Deus nobis de futuris patefecit, ita tamen comparata sunt, ut appareat, multitudinem rerum ac praestantiam, omnem intelligentiae nostrae vim & exspectationem superare, ac proinde omnia longe ampliora & maiora experientibus apparitura, quam fuere credentibus ac sperantibus. Cogitanda etiam merito grauias ac maiestas iudicii, in quod omnes vocabuntur, in quo etiam occulta animi intimaque mortalium consilia in lucem proferentur. Nec negligenda plane cogitatio malorum, quae impios ac perfidos oppriment, quae pariter grauiora erunt quam pro eo arque creduntur, metuuntur & intelliguntur. 4) Considerandum etiam, aeternum fore illum stylum, in quo exitus ex hac vita quemque collocabit. Breuitas igitur cum ipsius vitae, tum illorum, quae in illa sunt & sunt cum aeternitate, eiusque rebus atque eventibus diligenter comparanda est. Cogitandum ergo, quam breuis pugna omnisque calamitas Christi causa suscipienda, quam tamen munificentia illius in aeternum remunerabitur.

rabitur. Ante oculos porro habendum, quam breuis omnis fructus, si modo hoc nomine hac in re vti fas est, qui ex peccato rebusque creatis percipitur, & quam stultum proinde materiaque aeterni doloris sit, si quis propter adeo levia & brevia iacturam bonorum aeternorum ac verorum facit. Hae considerationes igitur omnes eo debent conuerti, vt acuatur desiderium ac studium aeternorum ac manentium, animus contra a terrenis mox relinquendis, parumque & ad breue tempus profuturis magis magisque abducatur. Sic Paulus illud reputans secum desiderio ingenti flagrabat, & primo quoque tempore, si Deus adnueret, res has relinquendi, & ad Dominum perueniendi, (2 Cor. V, 1. &c. Phil. I, 23.) aliosque ad idem studium gnauiter impellit rationibus ex intimis communionis cum Christo visceribus quasi repetitis ita ad Colossenses scribens Cap. III, 1. &c.): *Si igitur una excitati es sis cum Christo, quae supra sunt, quarite, ubi Christus est in dextra Dei sedens; quae supra sunt, sentite, non ea, quae super terram sunt. Mortui enim es sis, & vita vestra occultata est cum Christo in Deo. Quum vero Christus reuelabitur vita vestra, tunc etiam vos manifestabimini cum eo in gloria. Nec minus etiam ali & augeri oportet huismodi concitationibus serium sanctificationis studium. Instar omnium ad id probandum Petri cohortatio esse potest, qui confirmata contra irrisores rerum futurarum fide, oratione ad fideles conuersa, ita pergit; haec igitur omnia cum soluantur, quales & quantos vos oportet existere in sanctis conuersionibus & pietatis exspectantes & ac celebrantes aduentum dicti Dei, propter quem coelum ignitum solvetur & elementa aegypti liquecent? nouum vero coelum & nouam terram secundum promissa illius exspectamus, in quibus iustitia habitat; Ideo dilecti haec exspectantes diligentiam adhibete, vt sine macula & vitio inueniamini in pace.*

AESTVMATISSIMO DOCTISSIMO QVE
FRIDERICO MAXIMILIANO MAVRITII

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Quamvis aegre nunc et difficulter sufficiam apparandis expeditis que inter reliquos labores affatim cumulatos illorum disputationibus, quos propediem in cathedram comitabor: committendun tamen esse non putavi, ut desiderio tuo deesse, atque vel oppugnatoris in confictu solemni partes mibi impostas detractarem, vel publica te destituerem gratulatione, meaeque in te voluntatis significatione opportuna et officiosa supersederem. Plura certe et maiora debeo, non solum venerando Praesidi tuo, collegae coniunctissimo, qui toties has vices in disputationibus, quas moderatus sum, honorifice sustinuit, ut bonum nomen existimari desinerem, se quam occasionem referendi banc gratiam negligerem; verum etiam tibi met ipsi, de disciplina mea et oriunda exinde amicitia nostra ita merito, ut non possim existimare plus quemquam a se ipso quam me a te anari. Ipsas enim inimicitias mecum communicare voluisti, quibus aliquot abhinc annos nec opinato lacestritus a scriptore quodam tigurino, te pariter ac celeberrimum quendam collegam publicos defensores habui, sine ullo rogatu aut ambitu meo. Cui quidem ego amori, quod aliis rebus non potero, amore saltem et officiis ut respondeam, bellam hanc opportunitatem lubens amplector ornandi te qualicunque testimonio, quod apud aequos et intelligentes ingeniorum arbitros eo plus valebit, quo longius aberit ab ostentatione laudatoris aut diuinatione coniectoris. Quam ob rem nuda et simplici narratione breuiter et summatim commemorabo, qualem te sex annorum consuetudine cognitum, et compertum planeque exploratum habui, et quibus rebus ita te mihi probaveris, ut te illis meorum adnumerem, quos DEO acceptos resero mibique non magis quam ciuitati sacrae et utilitati publicae vere gratulor. Eo laudabiliori, quo rarior est, virium contentione proficiendique studio duplicasti studii academicii decursum, licet priorem iam duplo longiorem feceris, quam plerique his temporibus emetuntur, operamque dederis, ut progressus diurnitatis nihil

nibil concederent. Postquam enim integrum lustri ab anno c^lXXXII bene transacti fructibus omisso in patriam rediſti,
post examen solemne in numerum candidatorum ministerii sacri
recepisti, atque in illius SALTERI familia iuuentutis nobilissimae
institutione praeclare defunctus maluisti vitam academicam itera-
re anno c^lXXXLI, commilitonius a te ad academiam praepa-
ratis deductisque doctrinam et virtutem praeiturus, atque in amplificando litterarum olim profuturorum apparatu elaboraturus,
quam prouinciam ecclesiastae tibi delatam capessere, et si dudum
ab iisdem instruclior rectius id facere potuisses innumeris aliis, qui
iaclit vrcunque fundamentis doctrinarum proficuarum prima qua-
uis occasione munieris publici potiti ultimam metam laborum in lit-
teris collocaudorum contigisse sibi videntur. In neutro vero stu-
diorum decursu partium TVARVM quidquam reliqui fecisti, aut
quancunque opportunitatem praetermittendam esse duixisti proue-
bendi scientiam et dexteritatem. Quam assiduum attentum et
prouidum futuri auscultatorem egeris et adhuc dum agas, me ipso
teste intellexi, cuius scolis dogmaticis, hermeneuticis, theologiae
moralis, antitheticis, homileticis, historiae Christianae, litterariis,
illustrationis librorum symbolicorum, interpretationis pericoparum
euangelicarum et epifolicarum, vaticinii Iocelis, epifolarum Iacobi,
Paulique ad Philippenses, Colosenses et Hebraeos, euangelii Ioani-
nis et actorum apostolicorum, disputandique exercitationibus eam
operam dedisti, ut paucos habueris aquales superiorem neminem.
Neque aliorum auditionibus desuisti, praeter rerum sacrarum in-
telligentiam de addiscenda pbrolophia, matheſi et philologia tam
orientali quam graeca, latina, linguarumque recentiorum, quos eru-
diti nunc non sine detimento ignorant, valde et enixe follicitus.
Accessit duplex exercitatio tam docendi iuuentutem bonas litteras
publice priuatimque, quam scribendi, quae publice placeant, cuius
aliquot iam exstant documenta, commentariis meis de libris
memorabilibus inserta, in quorum particula mensis martii compare-
bit confutatio TVA impetus a Muratorio contra doctrinam purio-
rem de sacra coena facti, quam peritis lectoribus facile approba-
bis. Ut haec omnia plurimi, quod par est, facio, sic longe maioris
a me sunt, ob perpetuum et acquabilem virtutis tenorem et bonae
mentis studium, quo tot naturae et industriae dona diuinitus in

TE collata DEO consecrasti, ipsiusque seruitio addixisti. Cuim
gloriae pronebendae ut diu, multum et feliciter inseruias non te
hortabor, sed ipsum indulgentissimum DEI O. M. numeri orabo et
obtestabor, insignem hanc TVAE meaque felicitatis partem suppli-
cationibus nostris haud denegatarum. Vale igitur atque tantum
mibi velle quantum TIBI cupio, tuamque rem rectissime agere per-
severa. Dedi Halae ad Salam in academ. Frideric. d. XIII. Febr.
c/o Icccliii.

AESTVMATISSIMO ORNATISSIMOQUE
RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Diligenter attendentibus frequentissime animaduertere licet,
haud paucos studiis sacris in academis operantes, qui melio-
res adhuc alii tempus per otium & maleficia perdere religioni sibi
ducunt, in eo tamen errare, quod maxime agenda vel plane pree-
termittunt, vel minimo saltu conatu, non praetermittenda vero
maximo agunt; nescientes proinde quid in studendo aut eis aut
magis loco habendum sit. Ex quo haud raro possea multis acci-
dere solet, ut alio delati peruersam ac praecosteram studiorum ra-
tionem sero doleant, annosque praeeritos sibi referri necquidquam
optent, cum videlicet animaduertint, ea, quae ad rem recte, & ex
vera aliorum utilitate gerendam maxime pertinent, sibi deesse, su-
peresse vero, quae parum ad id profint. Nemo prudens facile ne-
gabit, valde hanc rem dolendam esse, cum eorum ipsorum causa, qui
caeluram temporis, opportunitatis & virium non contemmnam
fecerunt; tum ecclesiae, quae, quidquid delirant theologiae studio-
si, plecti cogit, magnisque detrimenis inde adscititur, si illi, quo-
rum est, videre, ne quid detrimenti capiat, nec animo vitaque recte
constituti, nec maxime necessariis & utilibus doctrinis instructi
sunt. Nec tamen est, quod rem tantopere dolendam magnopere
mireremur; causae enim ad investigandum non difficiles, sed plane
in promptu sunt iis, qui cum animorum humanorum, tum academiarum
statum depravato illorum admodum plerumque accommodatum, vel mediocriter cognitione habent. Felices itaque omnino exi-
stimas.

stimandi sunt, quibus aut damno edocetis, aut maturiore iam aetate & iudicio praeeditis, academiam ex intervallo iterum adire contigit, quique tum id maxime agunt, quod maxime necessarium & utile experimentis usque docti cognoverunt. Ex eorum numero, quibus haec felicitas contigit, tamen quoque es, AESTVMATISSIME RESPONDENS. Minime quidem inter eos fuijisti, cum primum tempus in Fridericiana ageres, qui supra a me notati sunt, sed potius ipso etiam tempore operam TVAM studiumque in istis rebus diligenter posuisti, quae maxime ad rem pertinent; interim tamen nibilominus recte istud felicitatis loco habes, quod iterum academiam TIBI adire licuit, ad bene copta magis magisque perficienda. Postquam scilicet annos complares in iuuentute priuatim cum fide instituenda laudabiliter consuitos absfuisisti, rediisti ad nos, proxime quidem eo consilio, ut aliorum fidei TVAE concreitorum studia & vitam in Fridericiana moderareris: simul tamen etiam istam occasionem diuinatus oblatam eo lubentius es amplexus, quo exoptatior TIBI etiam TVA causa visa est, cum ad studia theologica & philologica magis adhuc excolenda, tum ad docendi facultatem publica in orphanotrophei nostri schola latina iuuentutis institutione augendam: utrumque quidem laudabilis duorum honoratissimorum mibique amicissimorum FRATRUM exemplo, qui pariter ita hic optime exculti dignissimeque praeparati, de re ecclesiastica ac scholastica in patria iam optime merentur. Gratulor ergo TIBI cum opportunitatem oblatam, tum a-nimum studiumque ista quoque recte videnti; hoc enim non minus quam illud, imo magis adhuc gratulatione dignum iudico, cum bonaе occasionses multis, bona vero mens illas amplectendi paucis contin-
gat. Nec minus istud quoque magnopere probauit, quod me moderatore disputando te publice exercere decreui, qua in re te, ut dignum mandatis partibus est, acturum plane confido. Quod reliquum est DEVIM mortalem TIBI porro propitium, laetosque rerum TVA-
RVM successus ex animo exopto, qui tum eo minus deerunt, si id por-
ro TIBI maxime commendaatum habebis, ut animo, studiis, omnique
vita gloriae servatoris magis imagesque inferuias, id quod non solum
aequissimum, sed etiam longe fructuissimum ac sapientissimum est,
cum nemo magis illo de nobis immerentibus meritus sit; nemoque
maiorem illo immeritam licet his, qui ipsi vere addicti sunt, gratiam
aut referat, aut reserre possit ac cupiat. D. in Frider. Non. Febr.
cœlesti CCLIII.

Monsieur,

L'honneur de votre chere Amitié, est la chose du monde, dont je fais le plus cas. Jugés, Monsieur, si j'epargnerai aucun soin ou peine pour me conserver un si pretieux trefor. Je vous avoué, que je ne sache point avoir jamais emploie de tems avec plus d'agrément, que celui, que j'ai eù le bonheur de passer en votre agréable compagnie. Tout ce, que je desirerois le plus, ce seroit d'en pouvoir jouir plus long tems; mais tout mon chagrin est de voir, que je vais être bientot privé d'un si grand bien. J'en serois inconsolable sans la douce esperance, dont je me flatte, que vous me ferés la grace, malgré l'absence, de me conserver une place dans votre souvenir. Je vous en prie avec instance, vous assurant, que de mon coté, j'observerai toujours avec la derniere exactitude tous les devoirs de l'amitié, & que j'embrasserai avec plaisir toutes les occasions ou je pourrai vous donner de marques de mon estime. Voilà, Monsieur, mon tres cher ami, que vous soutenés aujourd'hui une Thèse par où vous donnés des marques eclatantes de votre diligence extraordinaire. Tout le monde admire votre erudition solide & tous vos compatriotes & vos amis vous regardent comme un exemple, qui tâcherons d'imiter, & ils souhaitent de tout leur coeur, que vos veilles reçoivent bientot la récompense, qui leur est due. Je suis avec toute l'estime & tout le respect imaginable

Monsieur,

votre tres-humble & très obeissant serviteur,

à Halle ce 5 Fev. 1753.

Frederic Maximilien Mentzer,
de Baade-Dourlac, Etud. en Droits.

Monsieur,

Rien au monde ne me cause une plus vive joie, que de vous pouvoir témoigner en cette glorieuse rencontre, les sentiment d'estime & de vénération, dont je suis penetré pour votre Personne. Je profite de cette occasion, Monsieur, pour vous assurer, que j'admirer autant votre capacité, que tous ceux, qui ont l'honneur de vous connoître de plus près, & qu'a fait jusqu'ici notre patrie. Vous en donnés aujourd'hui publiquement une nouvelle preuve. C'est de quoi je vous felicite de tout mon coeur, & je vous proteste, que

que de tous les compliment, qu'on vous fera à cet sujet, le mien ne leur cede ni en tendresse ni en sincérité. Je vous estime, & je vous ai estimé depuis long tems, & ce m'est un plaisir extreme de dire publiquement, que je le ferai encore à l'avenir. J'y suis obligé par mille bontés & civilités, dont vous m'avez comblé dès le tems, que j'ai l'honneur de vous connoître. Je vous en ai des obligations infinies, sachant bien, que tout ce, que j'en pourrois dire, n'exprimoit pas la moindre partie de ce que je vous dois. Faites moi la grace de m'accorder votre amitié, que j'estime tant, & continués-la moi s'il vous plaît, à présent, qu'il faut, que je m'éloigne de vous. Faites moi la justice, de croire, que malgré cet éloignement je prendrai part toute me vie à tout ce qui vous touche, & que je ne cesserai jamais, d'être avec le plus fort attachement,

Monsieur,

votre très humble Serviteur, & très fidèle ami,

à Halle ce 1. Fev. 1753.

*Jean Louis Mentzer,
de Baade-Durlac. Etud. en Droits.*

Dear Sir,

Tis not to be expressed with Words, how impetuously I have wished a long Time ago to have once the good Luck, to discover You the Tenderness wherewith I have always loved You, and the great Esteem I bear towards You. As long as I have the Honour to be acquainted with You, and this is already a pretty while since You have shewd me always so much Friendship and done me the greatest Favours, that I cannot but be very glad to have this Day the best Opportunity to return You publick Thanks for it. And indeed, Sir, at the present as I think there will be now the fittest Spot, to display Your due Encomiums, which You deserve most reasonably in Regard of Your profound Learning, of which You do give here these unquestionable Proofs. I cannot therefore but congratulate You upon the Scheme of this very learned Disputation, and I give You most humble Thanks for the Favour by having invited me to its friendly Debating. But nothing lieth so heavy to my Heart, than our Departing which must needs be in a very short Time. May God almighty be along with You! May he be pleased to bless Your Undertakings! Yea, may the good Lord enable You more and more to enlarge the Limits

mits of his Kingdom, and retaliate the Favours done to me! is the
sincere Wish of, Dear Sir,

At Hall in Saxony Febr. the 14th. 1753.

Your most humble servant,
John James Meyer,
Native of Baden-Durlac. Student of Divinity, Oppon.

VIRO PRAECLARISSIMO, DEFENSORI HVIVS DISPVTATIONIS
DOCTISSIMO, FAVTORI
ET AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO


S. P. D.
CAROLVS GVLIELMVS SIEVERT,
Bada-Durlacensis, Theol. Cult. Oppon.

Dabis, amicorum AESTVMATISSIME, vt inter alia sub finem dispu-
tationis TVAE defendendae, etiam meum ignobile alias arque
obseurum adpareat nomen. Dabis profecto, neque hoc, quidquid
est litterarum, amoris in TE mei iustissimum signum inuidebis.
Quid ni enim mihi licet cum laetis laetum esse, & gaudentibus
congaudere? Adsunt qui TIBI gaudia sua ex rationibus TVIS con-
cepta scripto testantur, qui TE piis prosequuntur votis, quare ego
solus meum erga TE affectum, & voluptatem, qua perfundor com-
primere & tacitus apud me continere diutius nequo. Ne vero ni-
mis longus sim, non tam id ago in praesenti, vt multis TIBI appro-
bem amorem in TE mcum, de eo enim aliunde TIBI iam satis consta-
re potest, adeoque nullo amplius testimonio indigere videtur, quam
vt potius TIBI ex animo gratuler publicum quod mox editurus es
eximiae eruditiois TVAE specimen. Nullus enim dubito, fore vt
eundem in conflietu solemini TE doctorum iudicio approbes, quem
quouis tempore exhibuisti, quemque omnes, qui TE norunt, satis
cognitum perspectumque habent, doctum scilicet & in omni doctrina
sanctori optime versatum. Iure igitur TIBI publicam illam defen-
sionem augor felicem atque fortunatam, eamque TIBI & adpre-
cor & ex animo gratulor. Ad me quod attiner, opponentis vices in
conflietu solemini suscipiendos mihi demandasti. Gratissimus omni-
no hoc amoris TVI erga me insigne documentum agnosco, & lubens
ad nutum TVVM compareo. Adero & pugnabo armis non inimi-
cis sed amicis, non vt victoriam TIBI dubiam reddere conarer, sed
quantum in me erit gloriosam ac honorificam. Ceterum, vt con-
sueuisti, ita me & in posterum, si quid meruero, amare perge.

Dabam Halae d. VI. Febr. An. MDCCCLIII.







DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA
DE
**PERSEVERANTIA
CREDENTIVM
VSQVE AD FINEM.**

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMO

IOANNE GEORGIO KNAPP


THEOL. D. ET PROF. ORDIN. CELEBERRIMO ORD. THEOL.
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

PRAECEPTORE AC FAVTORE
OMNI PIETATE AETERVM COLENDO
IN REGIA FRIDERICIANA

D. FEBR. CICIOCCCLIII.
H. L. Q. C.

PVBICE DEFENDET

FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII
LOERRACO-BADENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

